Inv. 9252 e rem 530

Dr. Hefel

~~104.~~

~~105.~~

N. 236.

Fr. Josephus de Liebenheim

16 X CM.21.21

Enchiridion
Juris ecclesiastici
Austriaci.

Edidit idiomate Germanico, dein latinitate donavit, multisque additamentis locupletavit

Georgius Rechberger,

J. D. Cancellarius episcopalis Lincensis.

Editio secunda novo codici adaptata, et locupletata.

Tomus primus.

Jus ecclesiasticum publicum.

Lincii,
apud Cajetan Haslinger.
1819.

Praefatio.

Ad elaborandum opus praesens, duobus abhinc annis idiomate germanico editum, duae me potissimum caussae impulerunt: summa tam pro animarum pastoribus, quam pro viris, qui in negotiis publicis versantur, necessitas. exactam sibi juris ecclesiastici patrii notitiam comparandi, et inopia idoneorum ad id studii genus librorum. Utut enim, qui in academiis nostris praeleguntur, libri scholastici tum materiarum ordine, et ubertate, tum aliis dotibus praecellunt, tamen in jure sacro nonnisi communi, cujus in provinciis Austriacis utplurimum usus non obtinet, versantur, praelibantes duntaxat summo veluti ore, idque raro admodum, leges provinciales ecclesiasticas nostri Imperii, unde jus patrium enascitur. Quo fit, ut et jus ecclesiasticum commune singillatim sit addiscendum, et particulare Austriacum, quoties a communi discedit, e voluminosis constitutionum Caesarearum collectionibus non absque magno et temporis et operae dispendio eruendum. Itaque dum praesens opus or-

direr, eo curas meas direxi, ut jus commune ecclesiasticum, quoad in terris Austriacis adhuc usum habet, cum jure nostro particulari conciliarem, conciliatumque dilucide, praecise, et meliori, quo fieri potest, ordine, tam animarum pastoribus, quam viris in munere publico constitutis, in usum opportunum converterem.

Exceptus praeter exspectationem benevole conatus meus: probatus et iis, qui jus ecclesiasticum aut docent, aut discunt: cumque ex instituto praesenti juris canonici praelectiones latino idiomate fieri soleant, latina operis versio a pluribus exoptata. Cui desiderio ut quantocius parérem, impulit me praecipue auctoritas viri clarissimi, inque isto literarum genere versatissiimi Consiliarii aulici Caes. Reg. Franc. nob. de Zeiller, qui enchiridion hocce juris eccl. Austr. in recensione ejusdem, operi suo insertâ, ut praesertim in lyceis nostris praelegeretur, praeprimis aptum, utileque declaravit. *)

Animosus igitur versioni manum admovi, idque vel idcirco libentius, quod inde occasionem me nancisci viderem, emendandi nonnulla, alia pro commodo addendi. Hinc 1mo.) quae minus soler-

---

*) Jährlicher Beytrag zur Gesetzkunde und Rechtswissenschaft in den österreichischen Staaten, 2r B. S. 194.

ter forſitan, minusque clare a me hactenus dicta erant, vel corriguntur, vel elucidantur. 2do.) Ad nutum recenſionis ſupra memoratae citationibus e corpore Juris Canonici frequentioribus locupletantur loca ea, quorum confirmationi magis opus eſſe hiſce allegatis viſum erat. 3tio.) Reſarciuntur lacunae in primâ alterâve editione germanicâ relictae, addendo leges, conſtitutionesque, quae vel adtentionem meam fugerant, vel poſt editum opus germanicum recenter emanarunt. 4to.) Siſtuntur conſtitutiones pro eccleſiis Galliciae, e collectione chronologicâ legum politicarum, quae ab ipſis ſupremis curiis juſſu Auguſtiſſimi paratur, erutae, quae pro ceteris quoque provinciis eo majoris utilitatis ſunt, quod ſtabilitas ibidem omnes cujusvis argumenti leges uno quaſi ſyſtemate, conſpectuque complectantur. 5to.) Demum inſignes quaedam Juris eccleſiaſtici Hungarici ab Auſtriaco diſſerentiae breviter notantur, quarum notitiam etiam Auſtriae incolis ob intimum Imperii Auſtriaci cum Regno Hungariae nexum gratam aeque, ac proficuam fore judicavi.

Porro, quod ſtyli puritatem, exactumque in exprimendis rebus novis verborum ſelectum attinet, vereor ſane, ne lectori purioris latinitatis amico parum ſim ſatisfacturus. Verum excuſando huic defectui illud vel unicum ſufficiat, neminem eruditorum latere difficultatem, ideas aetati no-

ſtrae proprias, a genio veteris Latii, ſtudiisque Romanorum penitus alienas, phraſi aptâ, et probe tamen latinâ exprimendi. Ipſemet Pater uberrimae, puriſſimaeque latinae olim facundiae M. Tullius Cicero in transferendis e Graecâ linguâ philoſophorum ſententiis plurimum, et minus interdum feliciter ſe laborâſſe ingenue faſſus eſt. Libro III. de finib. bonor. et malor. num. 1. Nobis, inquit, etiam verba parienda ſunt, imponendaque nova novis rebus nomina; quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cujus uſus vulgaris, communisque non ſit, multam novitatem nominum eſſe, cum conſtituantur earum rerum vocabula, quae in quâque arte verſentur: quod deinde diverſis diverſarum ſcientiarum, artiumque exemplis illuſtrat. Ceterum ego quidem a lectore intelligi malo, quam ob elegantiam ſtyli laudari, ratus, re bene intellecta, ut in eodem libro Tullius monet, de verborum uſu faciles nos eſſe debere.

Conſpectus Juris eccleſiaſtici publici.

Iſagoge.

Caput primum. De jure generatim.

Caput ſecundum. Notio et diviſio juris eccleſiaſtici.

Caput tertium. De fontibus juris ecclesiastici communis.

Caput quartum. De collectionibus juris ecclesiastici communis.

Caput quintum. De jure ecclesiastico Austriaco speciatim.

Jus ecclesiasticum publicum.

Pars prior. Jus eccl. publ. internum.

Sectio prima. De potestate ecclesiasticâ generatim.

Caput primum. De origine potestatis ecclesiasticae, ejusque naturâ et indole.

Caput secundum. De subjecto supremae potestatis ecclesiasticae.

Articulus ſecundus. De juribus primatus adventitiis.

Articulus tertius. De juribus primatus controverſis.

Articulus quartus. De adjutoribus et vicariis primatis.

Sectio tertia. De potestate ecclesiasticâ relate ad ecclesias particulares.

Caput primum. De patriarchis, primatibus, et metropolitis.

Caput secundum. De episcopis.

Articulus primus. De juribus et officiis episcoporum.

Articulus secundus. De adjutoribus et vicariis episcoporum.

Caput secundum. De juribus ecclesiae relate ad civitatem.

Caput tertium. De juribus civitatis relate ad ecclesiam.

Caput tertium. De juribus et officiis ecclesiae erga ipsos Acatholicos.

Iſagoge.

Caput primum.

De jure generatim.

§. 1.

Homo ſenſibus et ratione praeditus, libertatis ſuae abſolute ſibi perſuaſisſimus eo ipſo ſe discernit ab univerſa natura vitae aut rationis experta, atque phyſicis tantum legibus obnoxia. Semetipsum ergo ens liberum, perſonam, finem abſolutum (Selbſtzweck), alia omnia res et media dicit ſini ſuo inſervientia. Libero arbitrio fines ſibi proponit, eosque proſequitur, ſive rationis ſive ſenſuum poſtulatis magis conſentaneos. Idem in aliis hominibus ejusdem naturae characteres animadvertens, hos non tanquam media, ſed propter ſubſtantiae aequalitatem, ni velit ipſe ſibi contradicere, tanquam perſonas et fines abſolutos habebit; Erit itaque libertas uniuscujusque ra-

Notio juris generatim.

tione dictante limitanda eatenus, ut aliarum quoque perſonarum libertas conſtare poſsit. Id nomine juris objectivo ſenſu nuncupatur. Senſu enim ſubjectivo jus dicitur: facultas libera perpetrandi actiones quaslibet, quae libertati aliorum non obſtant, ſeu poteſtas ad actiones omnes juri objectivo non contrarias. Sententia, quae actiones illas juri conformes aut contrarias deſignat, et libertatis ſphaeram, qua quilibet agere poſsit, deſcribit, lex audit. Ponit lex certos libertati limites, quos transgredi non licet. Quidquid intra hos limites agere valemus, quidquid ab aliis exigere, id juſtum eſt, ſeu ad id jus nobis competit.

Jus ergo a libertate oritur, quatenus libertas agens in alias perſonas liberas intra limites a lege praeſcriptos ſeſe continet. Quocum jure jus etiam cogendi i. e. laeſiones juris mei arcendi, vim vi repellendi neceſſario cohaeret. Omnis enim juris offenſio libertatem limitat offenſi, jurisque eſt impedimentum. Atqui ubi vis unicum et neceſſarium eſt medium ad tollendum illud impedimentum, ea ipſa jus evincitur, quod eſt ratione fundatum.

Prout lex libertati limites ponens, alia eſt m o r a l i s, ſeu v i r t u t i s, alia j u r i d i c a ſeu l e x j u r i s, ita jus quoque eodem modo dividitur. Jus vero in ſenſu proprio illud ſolum eſt, quod legi juridicae reſpondet. *)

*) Vid. Zeillers natürliches Privatrecht §. 2. und 3. Kants metaphyſiſche Anfangsgründe der Rechtslehre. S. 35. §. D.

§. 2.

Lex juridica aut proprie talis conditiones ſtatuit, quibus ſervatis libertas ſingulorum communione vitae ſibi junctorum ſine mutua perturbatione ſubſiſtit. Quidquid his conditionibus non repugnat, id et cuique agere licet, et alter alteri permittere tenetur. Eſt ergo lex juridica prohibens tantum et proprie negativa. Lex vero moralis latius patens prohibet ſimul et praecipit, adeoque poſitiva eſt et negativa. Lex juridica ita ſonat: Abſtine ab omni actione, qua libertas aliorum turbatur; ne laedas! ne offendas! neque aliis velut mediis tantum utaris! cave, ne incurras in jus alterius. — Lex vero moralis ita: Perfice te et alios, naturam humanam in te et in aliis ut finem abſolutum reverearis, promove tuum et aliorum bonum verum. Utraque lex rationi practicae innixa ſocialem ſtatum reſpicit, modo tamen diverſo: a) Lex juridica ſtatum ſocialem praeſumit tantum, — moralis eum praecipit. b) Lex juridica ſola externarum actionum legali forma contenta eſt, — moralis ipſum animum internum legi vult conformem. c) ergo quidem juris, non item morale officium vi evinci poteſt. Neque adeo recte dicitur lex juridica lege morali complexa, cum moralis tantum, non autem juridica animum reſpiciat agentis. Si vero ab intentione agentis abſtrahatur, in omni actione libera haec valet regula: Quidquid contrarium eſt juri, eo ipſo contrarium eſt legi morali; qua enim lege perfectio praeſcribitur, eo magis laeſio juris prohibetur. Vice autem verſa non om-

Differentia legis juridicae et moralis.

nis actio contra legem moralem idcirco etiam legi juridicae adverſatur. Satisfit juri, dummodo abſtineam a laeſione, quamvis bonum aliorum non directe promovens. Itaque quidquid contra jus, id eo ipſo contra legem moralem; non autem quidquid licet jure, licet idem et lege morali. Quidquid vero intra limites legis moralis agere nobis licet, id ſemper, ſimul objectum eſt juris proprie talis, eo quod bonum morale legi quoque juridicae ſemper conveniat, neceſſe eſt, ut ſi eidem diſſentiret, eo ipſo moraliter malum foret. Id autem, quod alii vi legis ſolum moralis relate ad nos agere tenentur, objectum juris noſtri proprie talis non eſt, eo quod libertas noſtra per omiſſionem non violatur, quamquam nonnulli jurisconſultorum jus hujusmodi nomine juris imperfecti compellent. *)

*) Vid. Geishüttner Theologiſche Moral. Einleitung. §. 78 — 80.

§. 3.

Civitas et jus in civitate.

Ut autem ſtatus hic juridicus. in quo jus et expeditum ſit, et in tuto poſitum, conſtanter inter homines ſibi conviventes ſervetur, neceſſe eſt, 1) ut conditiones proprietatis, ſine quibus libertas ſingulorum quoad rerum naturalium uſum integra ſubſiſtere nequit, mutua conventione ad finiendas lites prorſus neceſſaria firmiter determinentur, et 2) ſecuritas quoque communis procuretur, id eſt, certum omnibus reddatur, fore, ut

id, in quo mutuo conventum eſt, reipſa obſervetur, et ad effectum deducatur. Eum in finem opus eſt conſociatione, vi cujus omnibus ſit voluntas ſeſe ejusmodi conditionibus proprietatis ſubjiciendi, et jura ſingulorum, conjunctis contra violatores jurium viribus phyſicis mutuo tuendi. Quae conſociatio ob perverſam hominum indolem effectum habere alia ratione nequit, quam ſnbjiciendo ſeſe poteſtati cuidam ſupremae, quae voluntatem communem repraeſentet, viresque phyſicas omnium ad communem illum finem dirigat, cunctis ſocietatis membris jura legibus definitis et ſat expreſſis manifeſtet, controverſa ſententiis ratis omni ulteriori appellatione majoribus, decidat, atque ita jura ſingulorum minis aut paenis, quibus propter junctas vires reſiſti jam non poſſit, protegat et confirmet, Societas ejusmodi pacto unionis et ſubjectionis ad conſervandum ſtatum juridicum inita, ſocietas civilis ſeu civitas dicitur. Erit igitur jus in civitate ſenſu objectivo limitatio libertatis ea conditione, ut ipſius uſus ſecuritati reliquorum pro judicio imperantis civilis ſeu poteſtatis ſupremae ne adverſetur. Senſu autem ſubjectivo jus in civitate eſt libera facultas agendi ea, quae ex imperantis ſententia juridicae civium ſecuritati conſentiunt. Exiſtente jam civitate, uſus virium phyſicarum ad coercendos jurium violatores, i. e. jus cogendi, regulariter nonniſi ex praeſcripto et diſpoſitione ſummi imperantis, aut eorum, penes quos eſt ſumma poteſtas, locum habet. Jus igitur in civitate proprie tale illud eſt,

quod imperans civilis adhibendo, ſi opus ſit, coactionem phyſicam tuetur. *)

*) Vid. Geishüttner theol. Moral. II. Thl. §. 299 — 304. Zeillers n. Privatrecht §. 196.

In civitate membris laeſis mediate tota laeditur civitas, haec per poteſtatem ſupremam jura ſingulorum tuetur; quapropter vis privata ad propriam defenſionem adhibita in regula potius laeſio foret poteſtatis ſupremae, niſi fiat neceſſario in omni caſu, in quo auxilium poteſtatis civilis intercedere nequit; v. g. ubi cuipiam in ſolitudine vis infertur.

Eſt ergo finis civitatis juſta et ſecura omnium libertas. Ad finem illum aſſequendum media requiruntur. Cujusnam erit ea definire, exequi et exequendis invigilare? — Omnium? — Ecce erunt quot capita tot ſententiae, nec unquam finis erit rixarum. — Inprimis igitur ſtatuendum, num ſumma poteſtas decidendi, adhibendi et cuſtodiendi media illa multis, paucis aut unico tradenda ſit? Id quod fit pacto conſtitutionis. Deſignandum denique Individuum, cui officium et cura incumbat totam ſocietatem ex pacto conſtitutionis ad finem juris dirigendi. Sive ſit ea perſona moralis, ſive phyſica, — monarcha, ſummus imperans, — ipſi per pactum ſubjectionis traditur poteſtas dirigendi omnia ad finem civitatis, id eſt, imperandi, atque omnis conjunctorum multitudo obligatur illius voluntatem tanquam voluntatem omnium venerari, eique obtemperare. Opus eſt ergo ad legitimam

existentiam summae potestatis in civitate pacto triplici: Unionis, constitutionis et subjectionis. — Vi posterioris imperans tenetur regere cives ad finem civitatis, atque jus ipsi competit ad omnia media necessaria et apta, quibus ad finem assequendum opus est. Possit oportet normam constituere, ad quam liberae subditorum actiones disponantur, ut fini civitatis satisfiat. (Potestas legislatoria.) Ipsius est liberas civium actiones legi comparare, et judicare, num iis consentiant, num adversentur. (Potestas judiciaria.) Et ne utrique nonnisi nomen vanum insit, opus est etiam potestate executiva. Tandem, ut triplex ista potestas concinne possit operari, antecedat oportet jus summae inspectionis in omnia, quaecunque intra civitatis limites comprehenduntur. Uberius atque ordine systematico elucubrata omnia huc pertinentia invenire est in opere: **Das natürliche öffentliche Recht nach den Lehrsätzen des Freyherrn von Martini; mit beständiger Rücksicht auf das Privatrecht des k. k. Hofraths von Zeiller, vom k. k. Regierungsrathe Dr. Franz Egger.**

§. 4.

Ut supra dictum, id quod usum libertatis aliorum nulla ex parte impedit, cuivis per legem juridicam agere licet. Itaque in cujusvis arbitrio positum est: sibi peculiares fines seligere ad effectum deducendos, dummodo libertati aliorum non adversentur. Sic liberum est et pluribus ad ejusmodi fines peculiares conjunctis viribus assequendos sese Jus sociale.

consociare, seu societatem inire. Ex initae ejusmodi societatis fine, et ex singulari mutuae conventionis modo oritur lex socialis, pro membris societatis, libertati singulorum novos limites ponens, unde officia ac jura socialia nascuntur. Quidquid intra hos limites singulis societatis membris agere licet, aut abiliis exigere, id lato sensu jus est sociale. Oportet autem conventionem hanc socialem imperanti civili exhiberi ab eodem approbandam, propterea quod nonnisi ea sub conditione valere possit, ut libertati omnium non obstet, atque adeo ut civitati nulla ex parte detrimentum adferat. Accedente approbatione imperantis civilis jus sociale simul fit jus civiliter validum, quod eapropter civitas ope coactionis physicae tuetur; quatenus nimirum coactio physica ex speciali indole illius societatis locum habere potest. Hujusmodi societas, si religionem virtutemque colendam, ergo finem religioso — moralem sibi praefigit, ecclesia dicitur. —

De ecclesia Christiana generatim.

§. 5.

Ecclesia invisibilis.

Quicunque intellectu praediti sunt, liberoque arbitrio, ii religionem ac virtutem, ut finem supremum omnibus communem,

tiam in ſemetipſis quam in aliis pro viribus promovere tenentur. Cum igitur conjunctis ſingulorum ad finem hunc aſſequendum voluntatibus efficiatur ſocietas religioſo — moralis, quae eccleſia appellatur, ſequitur, omnium eſſe officium, ut cum iis, quibuscum vivunt, in eccleſiam ſeſe conjungant. Huic officio innititur idea eccleſiae inviſibilis, ſeu regni Dei univerſalis in coelo et in terrà, quod in ſenſu quidem ſtrictiori ſolos bonos ad communem finem reipſà tendentes, in ſenſu vero latiori omnes omnino, quatenus ut ad eum tendant, obligantur, complectitur.

§. 6.

Eccleſia viſibilis.

Ad ideam hanc eccleſiae inviſibilis univerſalis proxime accedit, eamque, ut ita dicam, adumbrat ſocietas actualis et externa hominum, ob religionem ac virtutem tanquam finem ultimum omnibus communem ſeſe unientium, ſeu eccleſia viſibilis. Societas haec externa nititur 1) communi doctrinae ſummà, ſeu fidei ſymbolo, quam membra eccleſiae profitentur; quaevis enim ſocietas; cujus membra in eſſentialibus ſocietatis principiis diſſentiunt, neceſſario vel penitus ſe diſſolvit, vel in plures alias abit. 2) Exercitiis pietatis, cultusque externi communibus, quibus ſtudium religionis ac virtutis excitatur et conſervatur. 3) Conſtitutione demum proprià, quà nulla ſocietas carere poteſt, id eſt, modo ac ordine in pertractandis negotiis ſocialibus definito.

§. 7.

Characteres ecclesiae.

Characteres, verae visibili ecclesiae proprii, sequentes sunt: 1) Unitas, seu consensus quoad doctrinam, cultus externi exercitia, et propriam constitutionem. 2) Sanctitas, quatenus omnibus, qui ecclesiam constituunt, is finis praefixus est, ut ad virtutem, religionemque, id est, ad sanctitatem tendant. 3) Veritas doctrinae; religio enim ac virtus nonnisi veritati inniti potest. 4) Catholicitas, vi cujus ecclesia visibilis, cui, ut universalis et invisibilis ecclesiae exemplar assequatur, eluctandum est, quibuscunque temporum ac locorum rationibus attemperetur; 5) Libertas, eo quod moralem ecclesiae finem nonnisi liberis actionibus assequi liceat.

§. 8.

Ecclesia naturalis, et positiva.

Cum ob praeponderans rerum sensibilium studium naturae humanae connatum, quo oppositum virtutis, religionisque studium vehementer impeditur, vero simile non fuerit, fore unquam, ut homines proprio motu ac sibi ipsi relicti veram visibilem ecclesiam mutuà consociatione constituant, sequitur, veram ecclesiam, si actualem ejusdem originem spectes, nunquam non esse positivam. Quod tamen non obstat, quin ecclesiam naturalem et positivam eodem sensu discriminemus, quo religionem naturalem aliam, aliam positivam dicimus; quamquam sine auxilio revelationis supernaturalis neque unquam in

cognitionem religionis naturalis perfectam et incorruptam reipſa perventum fuiſſet. Itaque eccleſia naturalis illa eſt, quam arbitraria hominum conſenſione, religionis naturalis inter ipſos promovendae cauſſa, coaluiſſe fingimus; poſitiva vero, quae ope revelationis ſupernaturalis conſtituitur. Eccleſiae huic poſitivae ſeſe adſociare tenetur unusquisque, cui occaſio ſuppetit, veritatem revelationis ſupernaturalis, cui illa innititur, cognoſcendi. Conſtitutio eccleſiae naturalis ab arbitraria hominum ſeſe conſociantium conſenſione, poſitivae vero a diſpoſitione divini ejusdem auctoris pendet; iis duntaxat, quae is ipſemet non definiit, rectoribus eccleſiae ad ſanciendum relictis. Atque hoc ſenſu nihil obſtat, quo minus naturalis eccleſia arbitraria, poſitiva neceſſaria nuncupetur.

§. 9.

Eccleſia ante Chriſtum.

Exiſtere, eccleſiam poſitivam divinitus fundatam ſacrà edocemur hiſtorià. Eccleſia primaeva, ab orbe condito usque ad Abrahamum fuit univerſalis, omnes cultores unius veri Dei, inter quos Job, Melchiſedech, aliique occurrunt, complectens I. Moſ. 19. Idololatrià indies majora incrementa capiente familia Abrahami electa eſt, in qua fides in unum Deum integra conſervaretur, ſicque eccleſia facta eſt patriarchalis. Inde orta eſt eccleſia nationalis, poſteaquam familia Abrahami in populum accrevit, per Moyſen proprià conſtitutione religioſo-politicà inſtructa. Eccleſia haec nationalis eum in finem divini-

tus inſtituta fuit, ut per eam regnum illud novum, juxta vaticinia prophetarum illius populi a venturo ſalvatore humani generis fundandum, praepararetur. *)

*) Videatur deſuper opuſculum lectu digniſſimum clariſſimi Heß, vom Reiche Gottes, 1. Thl.

§. 10.

Jeſus Chriſtus eccleſiam fundavit.

Doctrina et conſtitutio eccleſiae judaicae tanquam baſis, cui novum inſtitutum a divino ſervatore Jeſu Chriſto ſuperſtructum eſt, conſiderari poteſt. Non enim venit Jeſus legem et prophetas ſolvere, ſed adimplere, Matth. V. 17 — 19, evangeliumque ſuum primum ovibus, quae perierant, domus Iſrael praedicavit, Matth. X. 5. XV. 24. Neque ipſe unquam, neque apoſtoli ejus ſeſe a communione eccleſiaſticâ Judaeorum ſegregaverunt. Attamen haec non niſi initia divini operis fuere; conſilium Domini multo latius patuit, quippe inſtitutum longe perfectius ac univerſale complectens. E numeroſis, quos ſibi Chriſtus adſcivit, diſcipulis, duodecim elegit, quibus eccleſiae ſuae regimen commiſit, quosque poſt reſurrectionem ſuam in univerſum mundum ire juſſit, eo fine, ut homines fide ſuâ imbuerent, credentesque per baptismum in ſinum eccleſiae reciperent, docentes ſervare omnia, quaecunque mandaſſet illis, Matth. XXVIII. 18 — 20. Hac ratione, quotquot in Chriſtum crediderunt, religioſam inter ſe iniere ſocietatem, ſeſe invicem fratrum more conſiderantes. Atque ita

orta eſt eccleſia Chriſtiana, cujus perpetuam durationem Chriſtus pollicitus eſt, dum ipſam aedificatam eſſe ſuper petram, et portas inferi non praevalituras eſſe adverſus eam aſſeruit. Matth. XVI. 18. Eccleſia haec in coetu fidelium Hieroſolymis primum facta fuit conſpicua, qui, ut actus Apoſtolorum II. 42 — 46. IV. 32. teſtantur, habebant omnia communia, perſeverantes unanimiter in doctrina apoſtolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus, quorumque erat cor unum et anima una. Quibus omnibus ſine ullâ dubitatione conficitur, a Chriſto Domino ipſomet veram eccleſiam viſibilem in terris fundatam eſſe.

§. 11.

Finis et natura eccleſiae Chriſtianae.

Finis ſupremus eccleſiae Chriſtianae eſt ſanctificatio fidelium Epheſ. V. 25 — 27., proximus et immediatus aedificatio mutua externa ope doctrinae, exercitiorum pietatis, reliquorumque inſtituorum religionis Chriſtianae. Cum regnum a Jeſu Chriſto fundatum de hoc mundo non ſit, Joan. XVIII. 36. 37. ſubditis ejusdem bona terreſtria adeo ſperanda, quaerendaque non ſunt, ut potius ſeipſos abnegare, crucem ſuam tollere, et Chriſtum ſequi jubeantur, Matth. XVI. 24. 25. XX. 22. Eccleſiae hujus indoles non eſt, unice in ceremoniis cultus externi verſari, exercitiis ejusdem externis eum ſolum in finem inſtitutis, ut ad pietatem internam, ad implendam voluntatem divinam, ad adorandum Deum in ſpiritu et veritate perducant, Matth.

VII. 21 — 23. Joan. IV. 24. Non timoris ſed amoris in eâ ſpiritus regnet oportet, ad Rom, VIII. 15. Leges ejusdem fundamentales ſunt fides in Chriſtum, Marc. XVI. 16, et amor Dei ac proximi, Matth. XXII. 37 — 39. Aditus ad eam patet omnibus omnino hominibus ſine diſcrimine gentis aut ſtatus, attamen a libero cujusvis arbitrio dependet, nec ullà ratione coactioni ſubeſt. Verumtamen cum ſocietas viſibilis externa ſit, fieri nequit, quin mali quoque in eâ deprehendantur. Similis eſt eo ſub reſpectu agro, in quo praeter triticum zizania comparent, et ſagenae miſſae in mare, ex omni genere piſcium congreganti, Matth. XIII. 24 — 30. 47.

§. 12.

Doctrina, exercitia et conſtitutio ejusdem.

Eccleſia Chriſtiana, ut diximus, poſitiva eſt et neceſſaria. Ejus igitur indoles et conditio non ab arbitrià fidelium conventione, ſed ab ordinatione divini ejusdem auctoris Jeſu Chriſti eſt derivanda: iis duntaxat, quae a divino eccleſiae auctore non fuere definita, conventioni ejusmodi membrorum eccleſiae, ſeu potius determinationi eorum, quibus ſummam in eà poteſtatem commiſit, reſervatis. Indoles porro eccleſiae Chriſtianae genuina e communi fidei ſymbolo, e pietatis exercitiis, et e propria ejusdem conſtitutione dimetienda eſt. Commune fidei ſymbolum illa omnia fidei et morum dogmata complectitur, quae, ut a divino ſervatore Jeſu Chriſto tradita, eccleſia profitetur; quocirca ii ſolum in eccleſia eſſe cenſentur,

qui unâ eorumdem dogmatum profeſſione cum eâdem conſentiunt. Communia pietatis exercitia in praedicatione verbi divini, uſu ſacramentorum, liturgia, diverſisque mutabilis diſciplinae eccleſiaſticae inſtitutis conſiſtunt. Per baptismum, qui reciprocam quodam modo baptizatum inter et eccleſiam conventionem continet, in hanc ſocietatem introitur. Conſtitutio eccleſiae propria nititur poteſtate dirigendi negotia eccleſiaſtica, quam rectoribus ejusdem diverſo graduum ordine competere, infra oſtendetur.

§. 13.

Unitas eccleſiae Chriſtianae.

Cum eccleſia Chriſtiana ſit veri nominis ſocietas, unitas eſſentialem ejusdem characterem efficiat, eſt neceſſe; quem characterem quoque ſacrae litterae eidem tribuunt, Joan. XVII. 20 — 22. Epheſ. IV. 4 — 6. Unitas haec alia eſt interna, vi cujus boni omnes unanimes in conſectandam virtutem conſentiunt, vinculoque charitatis ſunt conjuncti; quae eſt unitas inviſibilis eccleſiae: alia externa, ſenſibusque obnoxia. eccleſiae viſibili prorſus neceſſaria. Unitas haec externa rurſus duplicis generis eſt: 1) Unitas fidei, id eſt, conſenſus in rebus eſſentialibus religionis Chriſtianae, ſive ad dogmata fidei et morum, ſive ad pietatis exercitia, ſive ad conſtitutionem eccleſiae pertineant. Eſſentiale vero ac propterea etiam neceſſarium et immutabile illud ſolum eſt, quod vel a Jeſu Chriſto aut immediate aut per apoſtolos ſine ullâ ad tempus et locum reſtrictione expreſſe

traditum, inſtitutum aut praeceptum reperitur, vel ex doctrina, et praeceptis Jeſu Chriſti certa et indubiâ ratiocinatione derivatur. Reliqua accidentalia ſunt, adventitia et mutabilia. Alio quoque nomine res eſſentiales dogmaticae, accidentales, ſive pietatis exercitia ſive conſtitutionem concernant, diſciplinares vocari ſolent. *) 2) Unitas pacis et communionis, conſiſtens in communione illâ externâ, quae inter eccleſiaſticos cumprimis antiſtites ſervatur, dum hi ſeſe mutuo ut orthodoxos et legitimos paſtores agnoſcunt et aeſtimant, idque per ſigna et indicia in eccleſiâ uſitata, qualia ſunt litterae formatae, **) communis liturgiae et ſacramentorum uſus, et ſuſceptio peregrinorum ab unâ dioeceſi in aliam adventantium, praeſeferunt.

*) In rebus diſciplinaribus varietas locum habet, quin propterea eccleſiae unitas violetur. *Multa*, ut ait Firmilianus in epiſt. ad Cyprian. *pro locorum et hominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab eccleſiae catholicae pace atque unitate aliquandó diſceſſum eſt.*

**) *Litterae formatae* a propriâ ſuâ formâ, id eſt, certis notis et characteribus, quibus in fidem veritatis erant inſtructae, ita vocatae, duplicis praecipue erant generis, aliae, quas neoconſecrati epiſcopi aliis epiſcopis, ut eos de fide ſuâ orthodoxâ certiores facerent, mittere ſolebant; aliae, quibus ſuffraganei aliique clerici iter facientes commendationis cauſſa ab epiſcopis ſuis inſtruebantur. Dictae quoque ſunt ejusmodi litterae *communicatoriae*, *pacificae*, *commendatitiae*, *dimiſſoriae*. Hae poſteriores hodiedum in uſu ſunt.

§. 14.

Ecclesia catholica.

Ecclesiam Christianam, nonnisi unicam esse posse, illam nimirum, quam Jesus Christus instituit, quaeque veram integramque Jesu Christi doctrinam profitetur, dubio caret. Ex ecclesia vero hac variae prodierunt sectae, quarum singulae peculiari fidei professione tum ab illa tum inter se differunt: tametsi quaevis sibi persuadeat, a se genuinam Christi doctrinam teneri. Ea, unde exierunt, ecclesia catholica, quam uti veram Jesu Christi ecclesiam sequimur, singulari suo prae sectis illis eminet principio fundamentali, vi cujus omne illud et nonnisi illud tanquam a Jesu Christo traditum et praeceptum agnoscit et observat, quod regulariter loquendo semper et ubique, et ab omnibus in ecclesia ut tale agnitum est et observatum. Quo tamen principio habilitas illa ecclesiae, sese ipsam perficiendi, quam nunc perfectibilitatem vocare solent, quaeque in eo posita est, quod veram Jesu Christi doctrinam indies magis magisque explicare, illustrare, et usui practico accomodare valeat, nullatenus evertitur. *)

*) *In ipsâ item catholicâ ecclesiâ*, ait Vincentius Lirinens. in Commonitor. *magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere proprieque catholicum (quod ipsa vis nominis, ratioque declarat) quod omnia vere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem, etc.*

§. 15.

Inerrantia ecclesiae.

Dilexit Christus ecclesiam suam teste apostolo Paulo ad Ephes. V. 25 — 32., ut sponsam suam, et corpus, cujus caput est, voluitque, ut perpetuo perduraret, ac portae inferi non praevalerent adversus eam, Matth. XVI. 18. Porro ecclesia perpetuo durare nequit, nisi id omne, quod ad essentiam religionis Christianae pertinet, integrum incorruptumque in eadem servetur; ex quo enim ullà in re ad essentiam religionis pertinente erraret, eodem momento vera Christi ecclesia esse desineret: unitas enim fidei character est essentialis ecclesiae: (§. 9.) unus Dominus, una fides, unum baptisma, Ephes. IV. 5. Quapropter apostolis quoque singulare spiritus sancti sui auxilium Dominus promisit, quod maneat cum iis in aeternùm, eosque omnem veritatem doceat, et ab omni errore immunes servet: Joan. XIV. 16. 17. 26. XVI. 13. Matth. XXVIII. 20. Promissio haec, cum apostolis non proprii ipsorum commodi caussa, sed in bonum totius ecclesiae facta sit, cujus proinde finis non temporaneus sit censendus, sed perpetuus, procul dubio ad successores quoque apostolorum sese extendat, oportet: quemadmodum et Dominus ante passionem suam pro suis ad Patrem orans, ut omnes unum sint, non pro apostolis solum oravit, sed et pro eis, qui crediturі essent per verbum eorum in eum, Joan. XVII. 20. 21. Ut autem ecclesia prommissum hoc spiritus sancti auxilium experiatur, nullis plane opus est miraculis, sed sufficit generalis illa divinae pro-

videntiae gubernatio, qua fit, ut vera Jesu Christi doctrina, ope traditionis omnibus temporibus locisque ab apostolis eorumque discipulis et successoribus conformiter propagatae, et arctissimo, quod inter ecclesiae antistites intercedit, unitatis vinculo integra conservetur. Unde consequitur, ecclesiae christianae, quoad res essentiales religionis Christianae, illasque tantum, privilegium inerrantiae, quam etiam infallibilitatem vocant, omnino esse tribuendum. *)

*) Dogma de infallibilitate ecclesiae proprie ad theologiam dogmaticam pertinet. Egregie illud pertractarunt: Ildephonsus Schwarz in libro: Handbuch der christlichen Religion, et Jacobus Frint in opere: Handbuch der Religionswissenschaften, Letzterer im 2. Theile, ersten Bande, S. 496 bis zu Ende.

§. 16.

Vocabulum, ecclesia, variis saepe sensibus accipi solet, qui, ut omnis vitetur ambiguitas, bene sunt distinquendi. Venit hoc nomine a) ecclesia invisibilis. b) Ecclesia visibilis in sensu latissimo, quae ecclesiam quoque ante Christum tanquam ecclesiae Christianae praeludium, in se complectitur. c) Ecclesia visibilis Christiana super terram (§. 6 — 8.), id est, societas fidelium in terra viventium, quatenus ope communis fidei Christianae professionis; exercitiorum pietatis a Jesu Christo institutorum, et constitutionis ab eodem traditae a conservandam et augendam inter se religionem et virtu-

Varii sensus vocabuli, ecclesia.

tem externe conſociantur. d) Eccleſia non ſolum fideles in terrâ viventes, ſed et defunctos, ſive ad aeternam vitam vocatos, ſive ejusdem jam participes, quos inter chriſtianae charitatis vinculum perpetuo intercedit, in ſe continens, quae militans, triumphans, et patiens appellatur. e) Jam eccleſia univerſalis toto orbe diffuſa, jam particularis certis locorum limitibus circumſcripta. f) Demum eccleſia docens, ſeu corpus antiſtitum eccleſiae, ubi de poteſtate, definitionibus, praeceptis eccleſiae ſermo eſt.

Caput ſecundum.

Notio et Diviſio juris eccleſiaſtici.

§. 17.

Jura eccleſiaſtica.

Jus ſociale, quod modo declaravimus, ſocietati quoque eccleſiaſticae convenire, dubio caret. Quisquis enim ad ejusmodi accedit ſocietatem, is officium ſibi imponit, finem communem eccleſiae, per actiones, prae ſcriptae fidei, profeſſioni, conſuetis pietatis exercitiis, et receptae conſtitutioni conformes, pro viribus promovendi, eique viciſſim eccleſia fidem dat fore, ut bonorum quoque eccleſiae communium pro merito particeps fiat. Statuta, quibus haec propius definiuntur,

leges ecclefiafticae audiunt, quae actionibus liberis fociorum ecclefiae erga fe invicem novos limites ponunt. Quidquid intra hos limites agere, aut a fingulis fociis, aut ab ecclefia exigere licet, jus eft ecclefiafticum. Dantur ergo jura ecclefiaftica, quae competunt ecclefiae tanquam perfonae morali, tum ergo membra ecclefiae, tum etiam erga eos, qui extra ecclefiam funt; dantur quoque jura ecclefiaftica membrorum ecclefiae tum erga fe invicem, tum erga ecclefiam.

§. 18.

Quatenus coactioni fubfint.

Jura ecclefiaftica, quae conveniunt ecclefiae, a civitate, in quâ ipfa exiftit, approbatae aut toleratae *) fimul funt jura civiliter valida, in quorum defenfionem coactio quoque civilis, fi ab ecclefiâ imploretur, eatenus locum habere poteft, quatenus et quamdiu res in externis duntaxat actionibus verfatur. Quamvis etenim ecclefia fit focietas virtutis folum cauffa inftituta, virtus autem in interioribus animi fenfibus fita fit, coactioni nequaquam obnoxiis, negari tamen nequit, opus effe eidem, tanquam focietati externae, externis quoque adjumentis inftitutisque ejus generis, quae proxime et immediate non internum virtutis ftudium, fed exteriorem folum negotiorum ordinem concernant, remote tamen et mediate fimul ad promovendum internum virtutis ftudium cooperentur. Quo pertinent, exempli gratia, ftatuta circa exteriorem ordinem in exercendo a miniftris ecclefiae docendi munere, jura

officiaque reciproca antiſtitum, ſubditorumque eccleſiae, determinatio poteſtatis hierarchicae cuivis ordini competentis, ratio conferendi beneficia, et quae ſunt his ſimilia. Jura igitur inde profecta coactione quoque externâ vindicari poſſunt. Praeter coactionem vero civilem habet etiam eccleſia modum cogendi ſibi proprium, quem coactionem eccleſiaſticam vocare licet, qui videlicet in excluſione a communione eccleſiaſticà ſive totali ſive partiali ſitus eſt, eumque in finem tendit, ut reus ad agnitionem culpae, et ad agendam poenitentiam moveatur, vel ſaltem ſi ſpes emendationis prorſus non ſuperſit, ut membrum putridum a corpore eccleſiae reſcindatur.

*) Vera eccleſia, quae nonniſi religionem ac virtutem intendit, et in aſſequendo hoc fine unice occupatur, civitati nullâ ratione adſert detrimentum; itaque ab eâdem ſine injuriâ rejici nequit. Quodſi nihilominus rejicitur, prout eccleſiae Chriſtianae, dum graviſſimas primis ſeculis paſſa eſt perſecutiones, contigit, jura eccleſiaſtica pro foro eccleſiae quidem intacta et ſanctione eccleſiaſticâ munita manent, attamen jura civiliter valida dici nequeunt.

§. 19.

Jurisprudentia eccleſiaſtica, objecta ejusdem.

Diſciplinam, quae verſatur in declarandis juribus eccleſiaſticis proprie talibus, legibusque eccleſiaſticis, quibus haec definiuntur, jus eccleſiaſticum ſive jurisprudentiam eccleſiaſticam vocamus. Cujus objecta tamen non omnes, ſed illas ſolum leges eccleſiaſticas eſſe cenſemus, quibus jura

et officia ecclesiae, ac membrorum ejusdem, ad exteriorem negotiorum ordinem, forumque externum pertinentia, constituuntur. *) Jurisprudentia ecclesiastica neque dogmatibus fidei et morum, quae materia sunt theologiae dogmaticae et moralis, neque ritibus ceremoniisque cultus externi, in quibus declarandis versatur disciplina liturgica, neque institutione ministrorum ecclesiae in exsequendis functionibus officiisque pastoralibus, quam theologiam pastoralem vocant, occupatur.

*) Objecta jurisprudentiae ecclesiasticae ad leges exteriorem ordinem, forumque externum concernentes, uti mihi quidem videtur, limitanda sunt eâ de caussâ, ut hac ratione leges illae, quae ad forum conscientiae, et administrationem sacramenti poenitentiae spectant, ab eâdem excludantur, ne in alienam segetem falces immittat.

§. 20.

Jus ecclesiasticum, sacrum, canonicum, objective sumtum, est complexus legum ecclesiasticarum, quibus jura et officia ecclesiae, membrorumque ejusdem relate ad exteriorem ordinem determinantur; subjective sumtum, seu jurisprudentia ecclesiastica est cognitio harum legum scientifica. Cum vero sola legum ecclesiasticarum cognitio inutilis sit, nisi notitia genuini, quo intelligendae sunt, sensus, quae theoriam juris ecclesiastici constituit, habitusque eisdem casus occurrentes accomo- Definitio.

dandi, quem praxim vocamus, adjungatur, accuratius definitur jurisprudentia ecclesiastica, quâ habitus, leges ecclesiasticas, jura et officia ecclesiae membrorumque ejusdem ad exteriorem ordinem spectantia determinantes, scite interpretandi, et casus occurrentes iisdem rite applicandi.

§. 21.

Divisio juris ecclesiastici ratione originis.

Jus ecclesiasticum dividi potest ratione originis, objecti, subjecti, et principii cognoscendi. Ratione originis vel divinum est, vel humanum. Illud leges divinas sive naturales sive positivas, hoc humanas, a potestate tum ecclesiasticâ, tum civili conditas, complectitur. Idem porro origine in antiquum, novum, et novissimum partiri solet, de qua divisione sequenti capite sermo erit.

§. 22.

Ratione objecti.

Ratione objecti dividitur jus ecclesiasticum in publicum, et privatum. Illud ecclesiae totius, illorumque, qui in ecclesiâ potestatem habent; hoc singulorum ecclesiae membrorum jura officiaque determinat. Jus publicum rursus in internum, et externum dividimus, internum, quod constitutionem ecclesiae seu jura officiaque imperantium in ecclesiâ relate ad membra ecclesiae; externum, quod relationem ecclesiae tum ad civitatem, tum ad alias sectas ecclesiasticas, juraque et officia inde profecta concernit.

§. 23.

Relatione ſubjecti jus eccleſiaſticum aliud eſt commune, cujus auctoritas regulariter per totam ſeſe exſerit eccleſiam, aliud particulare, quod quibusdam tantum eccleſiis particularibus eſt proprium. Cum objecta legum eccleſiaſticarum ad eſſentiam religionis pertinentia neceſſaria ſint et immutabilia, fieri nequit, ut jura particularia in his a jure communi diſcedant. Quae vero ad variabilem diſciplinam pertinent, ea, prout ſunt variae eccleſiarum particularium conditiones et neceſſitates, variis modis determinari poſſunt, unde jus particulare exoritur. Ratione ſubjecti.

Caput tertium.

De fontibus juris eccleſiaſtici communis.

§. 24.

Jus eccleſiaſticum ratione principii cognoſcendi dividitur in ſcriptum, et non ſcriptum, utrumque divinum, vel humanum. Fontes juris divini ſcripti ſunt libri ſacrae ſcripturae, non ſcripti jus naturae, et traditio divina. Fontes juris hu- Fontes juris eccleſiaſtici ſcripti, et non ſcripti.

mani ſcripti ſunt leges eccleſiaſticae proprie tales, leges civiles, ſeu conſtitutiones principum, quae eccleſiam, ejusque negotia reſpiciunt, et pacta publica de rebus eccleſiaſticis inita; juris humani non ſcripti fontes ſunt legitimae conſuetudines et obſervantiae.

§. 25.

S. Scriptura veteris teſtamenti.

Sacra ſcriptura veteris teſtamenti, quamvis proprie fons juris Chriſtiani dici non poſſit eo, quod leges illius tam politicae, quam ceremoniales in novo foedere penitus ſunt abrogatae, cum ſacris tamen litteris novi teſtamenti arctiſſime connectitur, eàque in his interpretandis ſuperſedere neutiquam poſſumus. Accedit, eccleſiam quoque varios ritus ab uſu judaico eſſe mutuatam, variaque inſtituta ad exemplum ſynagogae recepiſſe. *) Patet igitur, ſacram ſcripturam veteris teſtamenti pro adminiculo juris eccleſiaſtici eſſe habendam.

*) Hujus rei exempla ſunt ritus paſchales, conſecratio eccleſiarum et altarium, uſus incenſi, aquae benedictae, aliarumque benedictionum. Uti ſynagoga conſtabat archiſynagoga, ſenioribus, et miniſtris, ita eccleſia ſuos habet epiſcopos, presbyteros et diaconos.

§. 26.

S. Scriptura novi teſtamenti.

Proprium fontem juris divini ſcripti ſacrae litterae novi teſtamenti conſtituunt. Inde praeprimis rectae notiones de eccleſia Chriſtiana, de natura et indole poteſtatis

ecclefiafticae, de forma regiminis ecclefiae etc., funt derivandae. Oportet autem et hic praecepta vere divina, a Jefu Chrifto vel ejusdem nomine ab apoftolis promulgata, ab inftitutis mere apoftolicis probe difcernere. Quod difcrimen clare indicatur verbis illis Apoftoli in epift. 1. ad Corinth. cap. 7. ubi vers. 10. praecipio inquit, non ego, fed Dominus, et iterum vers. 12. ceteris ego dico, non Dominus. Inftituta quippe mere apoftolica intra juris ecclefiaftici humani limites auctoritatemque continentur, mutationi funt obnoxia, ac reipfa jam diverfimode immutata; quo fpectant exempli gratia, quae de abftinentia a fanguine et fuffocato in Act. apoft. XV. 29., de agapis 1. ad Corinth. XI. 33., de velando a mulieribus capite 1. ad Corinth. XI. 5., de baptismo per immerfionem conferri folito in Act. apoft. VIII., habentur.

§. 27.

Inter fontes juris divini non fcripti primo loco jus naturae commemoravimus. Leges nimirum naturales, cum fint univerfales, neceffariae, et immutabiles, in jure quoque ecclefiaftico ufum habeant, eft neceffe. Jus naturae nimirum ad notionem focietatis ecclefiafticae accomodatum jus naturale ecclefiafticum conftituit. Jura porro obligationesque, quae competunt ecclefiae relate ad civitatem, ex jure civitatis univerfali, quod partem juris naturae efficit, funt deducenda. Jus naturae.

§. 28.

Traditio.

Traditio, quam alterum juris divini non ſcripti fontem eſſe diximus, ſita eſt in inſtitutione oretenus propagatà; quae ſi dogma aut praeceptum a Jeſu Chriſto traditum ut tale enunciet, divina ſeu dogmatica, *) ſi inſtitutum nonniſi humanum concernat, humana ſeu diſciplinaris vocatur. Traditionis in jure eccleſiaſtico maximus eſt uſus, unde doctrinam de ſupremâ poteſtate et de hierarchiâ eccleſiaſtica, de conciliis, de primatu, de juribus epiſcopalibus etc. optime demonſtrari et illuſtrari ſuo loco videbimus.

*) *Quod univerſa tenet eccleſia, nec a conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate apoſtolicâ traditum, rectiſſime creditur*, ait S. Auguſtinus lib. 5. de bapt. cap. 24.

§. 29.

Praxis eccleſiae, hiſtoria eccleſiaſtica.

Veritas traditionis ex continuâ praxi eccleſiae, et ex conſenſu ſanctorum Patrum demonſtratur. Notitia praxis eccleſiae pars eſt praecipua hiſtoriae eccleſiaſticae, cujus igitur ſtudium, quantam juri eccleſiaſtico adferat utilitatem, per ſe clarum eſt. Ita notitia de controverſiis eccleſiaſticis, et de more in iis componendis obſervato, conciliisque eum in finem celebratis, ad ſtabiliendam rectam notionem conſtitutionis eccleſiae quam maxime pertinet. Ad intelligendum quoque genuinum ſenſum canonum ſynodalium, et litterarum decretalium ſummorum

pontificum cognitio rerum iisdem temporibus in eccleſiâ geſtarum, quae iis condendis anſam praebuerunt, non raro prorſus eſt neceſſaria.

§. 30.

Patres eccleſiae inſignes illos vocamus ſcriptores eccleſiaſticos, qui poſt Apoſtolos et Evangeliſtas praeclaris operibus optime de eccleſia meriti, ob eximiam doctrinam, ſanctimoniam, et venerandam antiquitatem expreſſâ vel tacitâ eccleſiae declaratione hoc nomine decorantur; quorum aliqui inſuper jure quodam praecipuo Doctorum eccleſiae nomen obtinuerunt. Eos jam pro ſingulari, quâ in eccleſia pollent, auctoritate, praecipuos doctrinae eccleſiaſticae ſui temporis teſtes eſſe conſtat, quorum teſtimonium quantam vim probandi habeat, ex regulis criticae eſt dimetiendum. Quodſi igitur circa doctrinam aliquam dogmaticam qua talem SS. Patres aut omnes aut maximam ſaltem partem conſentiunt, unanimi hoc conſenſu doctrinae illius divina traditio optime demonſtratur. Eorumdem ſcripta ad illuſtrandam veterem eccleſiae diſciplinam ſummae ſunt utilitati.

Auctoritas Patrum.

§. 31.

Fontes juris eccleſiaſtici humani ſcripti praeprimis leges ſunt a legitimis eccleſiae antiſtitibus conditae, ſeu canones, quo nomine ſibi proprio atque uſu eccleſiae ſacrato a legi-

Leges eccleſiaſticae proprie tales, ſeu canones.

bus civilibus diſcernuntur. Hi vel univerſales ſunt, ut canones conciliorum generalium, et litterae decretales ſummorum pontificum, quatenus juſtos fines auctoritatis pontificiae non excedunt, de quâ re alio loco ſermo redibit; vel particulares, uti ſunt conſtitutiones conciliorum particularium, et epiſcoporum. Canones hi particulares in univerſales abeunt, ſi totius eccleſiae uſu recipiuntur.

§. 32.

Interpretatio canonum

Ut leges eccleſiaſticae ad caſus obvenientes apte applicentur, recta interpretatio ſeu declaratio veri ſenſus earumdem eſt neceſſaria. Quae fit vel ab ipſo legislatore, et tum interpretatio authentica appellatur; vel a privatis juris eccleſiaſtici doctoribus juxta hermenenticae regulas, et tum doctrinalis, vel a judice competente partes litigantes obligans, et tum judicialis dicitur. Quae legis dubiae ſenſum ex uſu et conſuetudine declarat, uſualis, quae ex verbis legis, philologica, quae ex ratione legis, prout illa ex naturâ rei, vel ex hiſtoriâ cognoſcitur, philoſophica, aut hiſtorica vocari ſolet. Singularis legis indoles, quâ ad certos fines ex mente legislatoris aſſequendos tendit, ſpiritus legis nomine venit.

§. 33.

Promulgatio.

Ut conſtitutiones eccleſiaſticae obligandi vim habeant, earumdem promulgatio re-

quiritur, quà omnibus, quorum intereſt, ſufficienter innoteſcant. Quamobrem patribus conciliorum generalium, uti Nicaeni, Epheſini, aliorumque in uſu erat, canones conciliares abſentibus epiſcopis litteris ſynodalibus ſive immediate ſive per metropolitas communicare, Unde facile intelligitur, modum illum promulgandi bullas pontificias, cum Romae in locis quibusdam publicis affiguntur, ad id, ut omnes univerſim fideles obligent, neutiquam poſſe ſufficere. *)

*) Videatur Van Eſpen tract. de promulgatione leg. eccleſ. Ceterum de jure placeti regii imperanti civili quoad conſtitutiones eccleſiaſticas competente; item de jure epiſcoporum, leges diſciplinares, utrum ſingularium dioeceſium ſuarum rationibus, moribus, et neceſſitatibus conveniant, examinandi, ſuo loco ſermo erit.

§. 34.

Quinam canonibus obligentur?

Conſtitutionibus eccleſiaſticis omnes uſu rationis praediti obligantur, quotquot ſunt in eccleſia, ac legislatori ſubſunt. Legislator ipſe tum ob intrinſecam legis bonitatem, tum boni exempli cauſſa eas obſervare tenetur. Conſtitutiones, particulares eos obligant, qui habitant in territorio legislatoris, vagos quoque, quamdiu ibidem commorantur. Peregrini obſtringuntur duntaxat legibus pro peregrinis latis, item iis, quas ſine ſcandalo aut perturbatione transgredi nequeunt, denique legibus contractus et delicta concernentibus, quandoquidem in territorio contrahunt, aut delinquunt.

§. 35.

Quomodo cesset obligatio.

Cessat obligatio constitutionum ecclesiasticarum universim, cum a legislatore sive expresse sive mediante contrarià consuetudine vim legis obtinente abolentur aut immutantur. Cessat relate ad singulos per dispensationes, et per privilegia.

§. 36.

Dispensationes.

Dispensatio, quae nonnisi in legibus humano jure fundatis locum habere potest, est relaxatio obligationis legis, a superiore justis ex caussis pro personis et casibus singularibus concessa. Cuinam competat potestas dispensandi in constitutionibus ecclesiasticis, in jure ecclesiastico publico investigabimus. Dispensatio vel ad actiones praeteritas, vel futuras, legi adversas refertur. In omni dispensatione opus est caussa justa, et vera, quae ad necessitatem vel utilitatem ecclesiae spectet; ejusmodi causa absente dispensatio omnino est illicita. *) Accidit quandoque, ut is, qui dispensationem petit, vel falsa motiva suggerat, vel in re ad substantiam caussae pertinente, quod verum est, supprimat; id si fiat, dispensatio ob — aut subreptitie obtenta, ac prorsus invalida esse judicatur.

*) *Quodsi urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id caussâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, a quibuscunque ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* Conc. Trident. sess. 25. de reform. cap. 18.

§. 37.

Privilegia.

Privilegium *) eſt conſtitutio ſpecialis, quâ ſuperior cuipiam vel ob merita aliquid indulget, vel extra ordinem onus imponit, quod ad exemplum non trahatur, unde vel favorabile eſt, vel odioſum. Porro privilegia perſonalia ſunt, quae perſonae ſunt conceſſa, ejusque morte exſpirant, aut realia, quae rei ſine reſpectu ad poſſeſſorem inhaerent, unde et ad ſucceſſores tranſeunt. Cum privilegia ſint vulnera legum, ultra expreſſum tenorem nunquam ſunt extendenda. Ceſſant renunciatione privilegiati, ſiquidem favorabilia ſunt, revocatione et morte ejus, qui privilegium modo revocabili conceſſit, praeſcriptione, ceſſante penitus cauſſà finali, denique lapſu temporis, pro quo fuere conceſſa, aut quandocunque bono communi contraria ab imperante ſupprimuntur.

*) Differt privilegium a diſpenſatione in eo, quod haec ad actus ſingulares, illud ad univerſos actus unius generis pertinet; haec jus, quod jam obtinet, relaxat, illud non raro jus novum tribuit.

§. 38.

Conſtitutiones principum circa negotia eccleſiaſtica.

A Chriſtianis principibus, quâ advocatis eccleſiae, non ſolum ſaepiſſime canones eccleſiaſticos fuiſſe firmatos, ita, ut iisdem vis legum quoque civilium accreſceret, verum etiam in rebus diſciplinaribus, bonum civitatis quoque modo concernentibus: motu proprio leges conditas, quae vel ab ipſis eccle-

ſiae antiſtitibus omni cum veneratione et ſubjectione reciperentur, indubia hiſtoriae monumenta teſtantur. Cujus rei exempla plurima in utroque Codice imperatorum Theodoſii et Juſtiniani, et in capitularibus regum Francorum reperiuntur. Jus leges ejusmodi ferendi, imperanti civili competere, in jure publico externo oſtendetur. Itaque et conſtitutiones principum circa negotia eccleſiaſtica fontem juris eccleſiaſtici humani ſcripti conficiunt.

§. 39.

Conſuetudo et obſervantia.

Conſuetudo, quam juris eccleſiaſtici humani non ſcripti fontibus adnumeravimus, jus eſt, uſu ac moribus introductum tacitoque vel expreſſo ſuperioris conſenſu approbatum. *) Ut autem tacitus ſuperioris conſenſus praeſumi poſſit, neceſſe eſt, 1) uſum illum divinae legi non eſſe contrarium, 2) uſum eſſe in propatulo, quin unquam a ſuperiore eidem ſit contradictum, 3) longiori tempore, 4) repetitis ſaepe actibus, et 5) legis loco eſſe ſervatum; quae conditiones, ſi concurrunt, conſuetudo vim legis obtinet, et legibus quoque anterioribus, quibus contraria eſt, derogat. **) Cum igitur vis omnis conſuetudinis nitatur factis, e quibus conſtet conſenſum legislatoris adeſſe, conſequitur, eandem nunquam non ab allegante ſufficienter eſſe probandam. Canon 7. Diſt. 11. Can. 6. Diſt. 12.

*) Species quaedam conſuetudinis eſt *ſtylus curiae*, ſeu conſuetudo formam proceſſus judiciarii de-

terminans. Huc pertinent etiam *praejudicia*, ex caussarum decisionibus sibi similibus orta, quae tamen proprie generale jus non faciunt, nisi quatenus ad probandam legitimam consuetudinem idonea sunt.

**) A consuetudine differt *observantia*, quâ jus inter partes tacito earumdem consensu introductum significatur. Uti consuetudo tacito consensu legislatoris vim legis, ita observantia tacito consensu partium vim conventionis obtinet.

§. 40.

Cautelae circa easdem observandae.

Tametsi consuetudines et observantiae in determinandis juribus ecclesiasticis magno sint usui, certis tamen in earum usu cautelis opus est. Atque 1) ab abusibus et corruptelis, hoc est, illis consuetudinibus, quae religioni, virtuti, ac bene ordinatae disciplinae quoquo modo adferunt detrimentum, probe sunt discernendae. Quà in re bene animadvertendum est, ea, quae ecclesia tacendo tolerat, non propterea ab eàdem semper approbari. *) 2) Tacitus in quendam morem consensus partium, quarum interest, perperam conjicitur ex eo, quod ejusmodi mos apud illas in usu sit, si simul constet, errorem essentialem intervenisse, quod ad eundem sequendum inductae fuerint. Id quod illis praecipue obstat observantiis ecclesiasticis, quae falsis decretalibus, ac erroribus per eas introductis originem suam debent. **) 3) Sunt quaedam jura ecclesiastica, quibus nequaquam pro lubitu renunciare possessoribus licet, propterea quod non in favorem possessoris, sed solum in bonum ecclesiae sunt concessa;

quae proinde per obſervantiam contrariam penitus tolli non poſſunt. Quo pertinet, episcopos, non obſtantibus reſervationibus pontificiis per obſervantiam introductis, juribus ſuis primitivis recte uti, quoties bonum eccleſiae, quae ſuprema lex eſt, id poſtulat.

*) *Eccleſia Dei inter multam paleam multaque zizania conſtituta, multa tolerat; quae tamen ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit*, ait S. Auguſtin. lib. 2. epiſt. 55. ad Januar.

**) *Veritati*, inquit Tertullianus, *nemo praeſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regnorum — Jura veritatis ſunt ampliora omni antiquitate, quippe quae nullâ plurimorum ſeculorum valeant praeſcriptione laedi, nec innumerâ teſtium multitudine obrui, atque labefactari.* lib. de virg. veland. et de praeſcript.

Caput quartum.

De collectionibus juris eccleſiaſtici communis.

§. 41.

Periodi juris veteris, novi, et noviſſimi.

Collectiones juris eccleſiaſtici communis commode ſecundum tres periodos juris veteris, novi, et noviſſimi dividuntur. Jus vetus canones ab eccleſiae origine usque ad collectionem Iſidori vel etiam usque ad decre-

tum Gratiani continet. Inde novum initium capit, omnesque collectiones, usque dum hodiernum juris canonici corpus ad finem esset deductum. in se complectitur. Quidquid post haec tempora sive a conciliis sive a pontificibus decretum reperitur, ad jus novissimum pertinet. Periodus prima simplicitate, utilitate et salutari rigore canonum inter reliquas eminet. Secunda novum prorsus falsumque systema hierarchicum invexit, ecclesiae potestatem in temporalia attribuit, modum procedendi judiciorum civilium ad negotia ecclesiastica transtulit, et quemadmodum, numerum canonum hac ratione in immensum auxit, ita veterem disciplinam ecclesiae vix non e medio sustulit. Durante tertia periodo in corrigendis defectibus et abusibus, quos secunda invexerat, laborarunt ecclesiae antistites, quin tamen illis res omni ex parte e voto cesserit.

§. 42.

Canones Apostolorum, et constitutiones apostolicae.

Inter collectiones juris veteris primum locum tenent canones Apostolorum, et constitutiones apostolicae; neutra tamen, fatentibus eruditis omnibus, Apostolos auctores habent. Canones Apostolorum quod attinet, ii primitivae ecclesiae disciplinam omnino referre, et quarto circiter seculo ex variorum conciliorum, maxime orientalium, canonibus conflati esse videntur. Quorum octoginta quinque, quos synodus Trullana approbavit, ecclesia Graeca numerat. Latina vero ecclesia in concilio Romano anni 496. sub Gelasio I. librum canonum Apostolorum

apocryphum declaravit. posterioribus tamen temporibus quinquaginta priores canones recepit. Constitutiones apostolicae vel recentioris sunt aetatis, vel saltem ab haereticis corruptae, ac propterea in ecclesiâ Latinâ nullius plane auctoritatis; quippe in quibus propositiones non paucae tum falsae aut sibimet repugnantes, tum etiam haereticae deprehenduntur. *)

*) Vid. Van Espen Differt. in canon. vulg. apost. Natal. Alexand. hist. eccles. Differt. 18. et 19. in sec. prim.

§. 43.

Codex canonum ecclesiae Graecae.

In ecclesia Graeca sub Theodosio magno circa annum 385. edita est collectio canonum numero centum sexaginta quinque, conciliorum oecumenicorum Nicaeni et Constantinopolitani, et quinque particularium, Ancyrani, Neocaesariensis, Gangrensis, Antiocheni, et Laodiceni; quam codicem canonum ecclesiae orientalis, alii codicem canonum ecclesiae universae appellant, a concilio Chalcedonensi laudibus celebrata, ac posteriori tempore tum canonibus ejusdem concilii, aliorumque recentiorum, maxime Trullani, tum fragmentis ex scriptis sanctorum Patrum decerptis aucta. *)

*) Vid. Van Espen Differt. de Cod. can. eccles. orient. auct.

§. 44.

Latinae quoque ecclesiae suus erat latinus codex graecorum canonum. Is vero cum esset incompletus, nec erroribus vacuus, Dionysius cognomine Exiguus sub initium sexti seculi elucubrandae novae canonum collectioni operam dedit, cui 50. canones apostolòrum, 165. codicis graeci, aliosque nonnullorum conciliorum Africae inseruit, littérasque decretales Romanorum pontificum a Siricio usque ad Anastasium addidit. Haec codicis canonum ecclesiae Latinae nomen, plenamque in ecclesiis Galliae et Germaniae auctoritatem obtinuit, postquam eam Hadrianus I. pontifex, nonnullis litteris decretalibus pontificum auctam, Carolo magno imperatori dono dedit. *) Codex canonum ecclesiae Latinae.

*) Van Espen Differt. de cod. Dionys. Exig. Ceterum Africanae quoque et Hispanicae ecclesiae suas habebant canonum collectiones.

§. 45.

Maximam subiit mutationem jus ecclesiasticum famosà illà collectione Isidori cognomine mercatoris, quae sub hoc nomine ab incerto auctore circa finem seculi octavi in lucem prodiit. Complectitur haec canones orientales priscae versionis, canones plurium conciliorum Franciae et Hispaniae, maxime vero innumeras pene litteras decretales Romanis pontificibus quatuor priorum seculorum usque ad Siricium falso suppositas, quin et Collectio Isidori.

veras recentioris aetatis pontificum litteras non raro adulteratas aut mutilatas. Confilium impoftoris aperte eo tetendit, ut poteftate episcoporum et conciliorum provincialium depreffâ Romani pontificis auctoritas ultra modum extolleretur. *)

*) Ita falfis hifce decretalibus afferitur, concilia provincialia absque permiffu pontificis celebrari non poffe, judicia epifcoporum, item translationes eorundem de una fede ad aliam, ad illum folum pertinere, et quae funt fimilia; praefertim ufus appellationum ad fedem apoftolicam illimitatus per easdem maxime invaluit. Quantum difciplina ecclefiaftica per has innovationes paffa fit detrimentum, optime oftendit Fleury Difc. 4. fur l'hift. eccl.

§. 46.

Falfitas decretalium usque ad Siricium.

Argumenta falfitatis litterarum decretalium fummorum pontificum usque ad Siricium tam funt firma ac perfpicua, ut nemo fit eruditorum noftris quidem temporibus, cui vel minimum eâ de re dubium fuperfit. Equidem Dionyfius, qui ante illam collectionem circiter ducentis abhinc annis Romae vitam degebat, differte teftatur, fefe fummo ftudio omnes, quotquot fuo tempore reperiri poterant, conftitutiones pontificum conquifiviffe, ejus autem collectio a Siricio initium capit, antecedentium R. R. pontificum nullâ mentione injectâ. Porro neque ftylus harum litterarum fimplici fcribendi generi priorum feculorum, neque argumentum indoli, neceffitatibus, et moribus illorum temporum conveniunt. Unde multis in locis chronologiae quoque regulis

apertiſſime adverſantur. Et quod rei caput eſt, integra loca, quae ſummis illis pontificibus priorum ſeculorum Iſidorus tribuit, in operibus ſcriptorum recentioris aevi iisdem verbis reperiuntur. *)

*) Vid. Natal. Alexand. Diſſ. 21. in ſec. prim. Conſtant. praefat. ad epiſt. Roman. pontif. Van Eſpen Diſſ. de collect. Iſidor. vulg. mercat.

§. 47.

Poſt tempora Iſidori collectiones juris canonici mirum in modum ſunt auctae. Pro eccleſiis Germaniae praecipuam nacta eſt auctoritatem collectio Capitularium regum Francorum. Quo nomine veniunt leges in comitiis publicis, quibus tum episcopi, tum ſtatus laici imperii intererant, circa negotia ſive eccleſiaſtica ſive civilia editae. Capitularia haec primum Anſegiſus abbas circa annum 827. quatuor libris complexus eſt; dein Benedictus Levita Moguntinus circa annum 845. tribus aliis libris adauxit. *) Notatu quoque dignae ſunt collectiones, quae auctore Reginone abbate Pruminenſi circa annum 906. dein Burchardo episcopo Wormatienſi circa annum 1020, et Jvone Carnotenſi circa annum 1100. in lucem prodiere. *) Capitularia regum Francorum.

*) Capitularia regum Francorum Stephanus Baluzius edidit, ac praefationem lectu dignam, notasque eruditione plenas adjunxit.

§. 48.

Decretum Gratiani.

Inter collectiones illius temporis longe celeberrima illa eſt, quam Gratianus monachus anno 1151. in uſum praelectionum Academiae Bononienſis in lucem protulit, et concordiam diſcordantium canonum inſcripſit, ſub nomine Decreti Gratiani maxime nota. Conſtat illa tribus partibus, quarum prima 101. diſtinctiones, ſecunda 136. cauſſas, ſingulas in plures quaeſtiones diviſas, tertia quinque diſtinctiones ſub titulo de conſecratione complectitur. Ut errores, qui in hoc opere quam plurimi reperiebantur, emendarentur, elaborata eſt Romae editio correctior, et juſſu Gregorii XIII. anno 1582. publici juris facta. His tamen correctionibus non obſtantibus, falſae decretales ex collectione Iſidori a Gratiano aſſumtae, quae magnam ejus operis partem conficiunt, uti et loca ſuppoſita ſanctorum Patrum non pauca intacta remanſerunt. *)

*) Van Eſpen brevis Comment. ad decr. Grat. in Diſſert. proemial.

§. 49.

Decretales Gregorii IX.

Ab hoc tempore conſtitutiones pontificum, prout ſtatus eccleſiae illius aevi ferebat, majora indies tum numero tum auctoritate incrementa ceperunt. Quarum collectionem genuinam ſub nomine Decretalium a Raimundo de Pennafort Gregorius IX. fieri juſſit, eamque anno 1234. ad uſum ſcholarum et

judiciorum academiae Bononienſi transmiſit. Diviſa eſt in libros quinque: quorum ſinguli titulis, tituli capitulis conſtant, continetque praeprimis decreta concilii Lateranenſis IV. ſub Innocentio III. anno 1215. celebrati, praeter reſcripta pontificia quam plurima, quibus cauſſae controverſae decidebantur. Collectionem Decretalium excepit anno 1298. liber ſextus Decretalium Bonifacii VIII. conſtitutiones pontificias inde a Gregorio IX. maxime ſub Innocentio IV. et Gregorio X. in conciliis Lugdunenſi primo et ſecundo editas continens. Secutae ſunt anno 1317. Clementinae, ſeu conſtitutiones Clementis V. in concilio Viennenſi editae. Tum liber ſextus decretalium, tum Clementinae, prout mos erat illius temporis, academiae Bononienſi transmittebantur. Demum prodiere Extravagantes Joannis XXII. et Extravagantes communes, hoc nomen adeptae propterea, quod in collectionibus prioribus non continebantur; illae conſtitutiones Joannis XXII. hae ab Urbano IV. usque ad Sixtum editas complectuntur.

§. 50.

Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX. liber ſextus Decretalium, Clementinae, Extravagantes Joannis XXII. et communes corpus, quod vocamus, juris canonici conſtituunt, quod juſſu Gregorii XIII. correctum in lucem prodiit, et noſtris adhucdum temporibus in uſu eſt. Auctoritatem autem ejus quod attinet notandum eſt: 1) Cor-

Auctoritas corporis juris canonici.

pus illud juris canonici nec ab ipſis quidem pontificibus unquam edicto quodam publico eſſe praeſcriptum, ut legis loco ubique obſervaretur; id quod etiam absque conſenſu tum imperantium civilium tum episcoporum fieri non potuiſſet. 2) Eſſe tamen tanquam jus ſubſidiarium ad exemplum juris civilis Romani, cui etiam ut poſterius praefertur, et derogat, uſu receptum; cui rei potiſſimum anſam praebuerunt academiae Bononienſis ſcholares, qui cum ex diverſis orbis Chriſtiani partibus eo conveniſſent, quod ibidem edocti ſunt, in patriam reduces commendarunt ac uſurparunt. 3) Corpus juris canonici nullius eſt auctoritatis in jure publico eccleſiaſtico, quoties rectis de forma regiminis eccleſiaſtici principiis, ſacrae ſcripturae et traditioni innixis, aut juri civitatis univerſali repugnat. 4) Immo et in jure privato tam legibus civilibus, quam eccleſiaſticis conſtitutionibus, juſtisque conſuetudinibus cujusque regionis poſtponendum eſſe, ita ut nonniſi in defectu juris patrii uſum habeat ſubſidiarium. *)

*) Liber ſeptimus decretalium Petri Matthaei, et inſtitutiones jur. can. Pauli Lancellotti legali carent auctoritate, cum ſint recentiores corporis juris canonici appendices. (v. Pehem. jus eccl. univ. P. I. §. 1065.

§. 51.

Jus noviſſimum.

Inter collectiones juris eccleſiaſtici communis noviſſimi referenda ſunt praeprimis acta conciliorum Conſtantienſis, Baſileenſis, et Tridentini, unà cum bullario Romano.

Concilium Conſtantienſe, et Baſileenſe ob vindicatam generalium conciliorum ſupremam ſupra pontifices auctoritatem maximi ſunt pro jure publico eccleſiaſtico momenti, quemadmodum et arduis laboribus pro reformandâ eccleſiâ in capite et in membris parum tamen efficacibus inclaruerunt. Concilii Tridentini, quod anno 1545. coeptum, et anno 1563, finitum eſt, decreta de reformatione partem non exiguam juris privati noviſſimi conficiunt, iisque reformationes non paucae, eccleſiaſticae diſciplinae perquam ſalutares, in acceptis ſunt referendae. Bullarium collectio eſt conſtitutionum papalium ad noſtra usque tempora privatâ duntaxat auctoritate facta.

Caput quintum.

De jure eccleſiaſtico Auſtriaco ſpeciatim.

§. 52.

Quid nomine juris eccleſiaſtici Auſtriaci veniat.

Nomine juris eccleſiaſtici Auſtriaci intelligimus complexum tum principiorum juris eccleſiaſtici, quae in Auſtriâ publicâ auctoritate recepta ſunt, tum legum ac conſuetudinum, quae in rebus eccleſiaſticis ibidem obſervantur. Auſtriae vero nomine illas ſolum imperii Caeſarei Auſtriaci haereditarias terras complectimur, quae ad ſubſtantialia quod attinet, eàdem gaudent conſtitutione, iisdemque

ſubſunt legibus, exceptis proinde provinciis Hungaricis. *) Jus hoc eccleſiaſticum Auſtriacum partim proprii s legibus et conſuetudinibus, partim principiis, praeceptisque juris communis, quatenus haec in Auſtriâ recepta ac in uſu ſunt, nititur. Itaque ex jure proprio, et jure eccleſiaſtico communi in Auſtriâ recepto conflatur.

*) Cum tamen ob nexum provinciarum Auſtriacarum cum regno Hungariae, negotiorumque commercium notitia aliqua juris eccleſiaſtici Hungariae proprii pro ſubditis etiam Auſtriacis nec utilitate careat, nec jucunditate, non abs re erit, inſignes quasdam differentias juris Hungarici ab Auſtriaco hinc inde breviter commemorare.

§. 33.

Quatenus jus commune in Auſtriâ obtineat, idqueinprimis divinum.

Quodſi quaeritur, quatenus jus commune eccleſiaſticum in Auſtriâ obtineat, inter jus divinum, humanumque diſtinguendum eſt. Quoad jus divinum varietati in jure naturae, ſacris litteris, ac divinâ traditione fundatur, (§. 26. 28.) id in terris quoque Auſtriacis plenam habere vim, auctoritatemque, indubium eſt. Quin immo imperio Auſtriaco, maxime a tempore regnantis Imperatricis Mariae Thereſiae piiſſimae memoriae, illud eſt proprium, ut praecipue in vindicandis et obſervandis genuinis juris naturae, ſacrae ſcripturae, et traditionis principiis omnem ſemper operam navarit, atque hodiedum navet.

§. 54.

Sed jus ecclesiasticum commune humanum quod attinet, sunt in Austriâ caussae exceptae quam plurimae, in quibus illud nullius est auctoritatis. Et 1mo. quidem in jure publico neque principia illa in corpore juris canonici dispersa, nec consectaria inde deducta quidquam valent, quae genuinis principiis in jure naturae, sacris litteris, aut traditione fundatis adversantur, quaeque fere omnia ignorantiae medii aevi originem debent, quale illud est de absolutâ potestate monarchicâ Romani pontificis, de potestate ejusdem in temporalia regum, deque immunitate ecclesiasticâ divinitus, ut opinantur, institutâ. 2do. Sunt materiae juris privati quam plurimae, de beneficiis, de bonis ecclesiasticis, de religiosis ordinibus, de caussis matrimonialibus, etc. in quibus propriis utimur patriae legibus, juri communi derogantibus. 3tio. In materiis quoque nonnullis, ubi leges patriae scriptae deficiunt, sunt nobis singulares consuetudines, quae a jure communi discedunt. Unde jam consequitur, jus commune ecclesiasticum humanum in terris Austriacis nonnisi juris subsidiarii loco valere, ubi nimirum caussae, quas commemoravimus, exceptae non obtinent. (§. 50.)

Dein humanum.

§. 55.

Ad fontes juris ecclesiastici Austriaci, unde nimirum cognosci possit, quae propriae in Austriâ existant leges et consuetu-

Fontes juris ecclesiastici Austriaci.

dines in rebus ecclefiafticis, quidve de juris communis placitis fit receptum, referimus 1mo. conftitutiones caefareo - regias in publico - ecclefiafticis, 2do. praxim ipfam, quam vocant, feu id, quod ufu ubique in terris Auftriacis fervatur, 3tio. aliquo etiam modo libros pro praelectionibus juris ecclefiaftici in Univerfitatibus ac Lyceis Auftriacis lege publicà praefcriptos. Quibus olim 4to. privilegia quoque domus Auftriacae, nec non 5to. quaedam pacta publica peculiaria adnumerari poterant.

§. 56.

Conftitutiones caef. reg. in publico - ecclefiafticis.

Fontem facile principem juris ecclefiaftici Auftriaci conftituunt leges caefareo regiae inpublico - ecclefiafticis, quo poftremo nomine veniunt negotia ecclefiaftica, bonum civitatis ullà ex parte refpicientia. Leges hae non modo partem juris privati, quod noftris temporibus in Auftrià obtinet, longe maximam conficiunt; verum ex iis quoque quam certiffime cognofcitur, quaenam principia juris publici ufu ipfo et obfervatione apud nos fint recepta, et quafi civitate donata. Jura inprimis circa facra imperanti civili attributa expreffe celebri illo refponfo Principis de Kaunitz fupremi cancellarii caefareo - regii ad nuncium apoftolicum Viennae dato vindicantur, quod conftitutione caefareà. dd. 19. Dec. 1781. ubique eft promulgatum.

§. 57.

Promulgatio earumdem.

Conſtitutiones caeſareo - regiae in publico - eccleſiaſticis ne unquam memoriâ excidant, ſancitum eſt, ut tam a conſiſtoriis episcopalibus, quam a monaſteriis ac religioſis domibus, nec minus a quovis parocho habeatur protocollum, quod vocant, cui illae inſerantur, indice alphabetico inſtruendum et liberae inſpectioni ſingulorum de monaſterio ſive religioſâ domo, uti et curatorum in parochiis aſſervandum, 11. Mart. 1780. et 15. Jun. 1782. Conſtitutiones hae cum profeſſoribus quoque theologiae paſtoralis, ut diſcipulos ſuos illas edoceant, communicantur, 16. Aug. 1785. Quae clerum proxime concernunt, a regimine provinciali (Landesſtelle) immediate conſiſtoriis episcopalibus transmittuntur, quorum eſt, illas verbotenus absque ullâ mutatione et tergiverſatione protocollo inſerere, et clero promulgare. Eaedem cum praefecturis circulorum (Kreisämter) communicantur eum in finem, ut a partibus imploratae rationem de iis poſſint reddere, earumque obſervationi invigilare, 17. Mart. 1791. §. 3. n. 5. Recentiori decreto aulico dd. 16. Januar. 1795. injunctum eſt tribunalibus tum aulicis tum provincialibus, (Hof- und Länderſtellen) curam ut gererent, ne ab ullo episcopali conſiſtorio a conſtitutionibus caeſareo - regiis vel minimum proprio jure diſcederetur, quin antehac conſenſus principis debito ordine ſit imploratus et obtentus.

§. 58.

Collectiones harum legum.

Collectiones legum, in quibus constitutiones caes. reg. in publico - ecclesiasticis reperiuntur, partim sunt generales, quae constitutiones non ad res solum sacras sed alias quoque materias spectantes continent, partim speciales; quae constitutiones duntaxat in publico - ecclesiasticis editas complectuntur. Prioris generis praecipuae sunt, 1) Codex Austriacus cum supplementis, 2) collectio legum politicarum, cui titulus: **Politische Gesetze und Verordnungen für die österreichischen, böhmischen und gallizischen Erbländer von Sr. Majestät Franz II. 26 B. auf allerhöchsten Befehl und unter Aufsicht der Hofstellen herausgegeben.** 3) Alia collectio ex officinâ D. Mösle Viennae, quae inscribitur: **Handbuch der k. k. Verordnungen und Gesetze**, quatuor sectionibus secundum totidem imperantes, inde a Mariâ Theresiâ, constans. Posterioris generis scripta praecipua sunt: 1) de Riegger Corpus juris eccles. Bohemici et austriaci. 2) Illa, quae ex officinâ Trattnerianâ in lucem prodiit, collectio legum et constitutionum caes. reg. in publico - ecclesiasticis ab anno 1767. 3) De Kröhni Epitome sub titulo: **Auszug der Gesetze in geistlichen Sachen bis 1782.** 4) Julii Caesaris jus nationale ecclesiasticum Austriae, **Nationalkirchenrecht Oesterreichs.** 5) Opus praeclarum Cl. Schwerdling usui practico prae reliquis quam maxime accomodatum, cui titulus: **praktische Anwendung der für die gesammten Erbländer in geistlichen Sachen ergangenen k. k. Verordnungen,**

constitutiones nostras in publico - ecclesiasticis juxta seriem materiarum ab ineunte regimine M. Theresiae ad nostra usque tempora continens. 6) Denique quod novissimum idiomate germanico prodiit jus ecclesiasticum Austriacum auctore Cl. Antonio Wilhelmo Gustermann tribus tomis constans, rerum, quae pertractantur, copiâ praecipue commendandum.

§. 59.

Fontibus juris ecclesiastici Austriaci adjungimus porro ipsam praxim, quae in negotiis ecclesiasticis observatur. Quidquid nimirum ubivis locorum publice, ac longiori abhinc tempore usu servatur, siquidem neque doctrinae ecclesiae, nec disciplinae ecclesiasiicae repugnet, id justae consuetudinis aut observantiae loco est tenendum (§. 39. 40.) In negotiis tamen ad objecta legum civilium spectantibus juxta codicem nostrum civilem (bürgerliches Gesetzbuch 1. Thl. 1. Hauptst. §. 9. — 14.) consuetudo contra legem subsistere, vimque habere nequit; quin et in rebus per legem nondum decisis consuetudini locus non est, ejusque tum solum ratio habenda, cum lex de substantia quidem rei decernit, quoad circumstantias autem ad morem regionis observationemque provocat. *) Praxis ipsa.

*) Huc spectant §. §. 9. et 10. novi codicis civilis. Primus ita sonat: Vim suam leges tamdiu exerunt, donec a legislatore expresse aut immutentur aut abrogentur. Alter ita: Provocare ad

confuetudines in iis tantum licet cafibus, in quibus ipfa lex ad eas provocat.

§. 60.

Neceffitas ftudii juris Auftriaci.

Quam neceffarium fit ftudium juris ecclefiaftici Auftriaci iis omnibus; qui in terris Auftriacis five curam animarum gerunt, five in negotiis civilibus verfantur, nemo certe eft, qui non videat. In utroque enim munere cafus obveniunt quam plurimi, in quibus ut officio fuo apte ordinateque in bonum publicum fungantur, neceffe et omnino, ut tum principiis patriis de conftitutione ecclefiae; ejusque relatione ad civitatem bene fint imbuti, tum conftitutiones in rebus publico - ecclefiafticis editas probe calleant. Studium hoc juris ecclefiaftici ab imperantibus noftris fingulari prorfus ratione commendatur, ab iisque quafi in tutelam eft receptum. Ita fancitum eft, clericos ad majores ordines non effe admittendos, nifi qui in tentaminibus ex jure ecclefiaftico primae claffis calculum fint confecuti. Jus ecclefiafticum praecipuam quoque partem efficit earum rerum, de quibus clerici in concurfu parochiali examinantur. Demum officiorum civilium candidati, a quibus generatim teftimonia ftudii juridici exiguntur, teftimonium quoque progreffus in ftudio juris ecclefiaftici adferre tenentur.

§. 61.

Divifio materiarum.

Dividimus jus ecclefiafticum Auftriacum in publicum et privatum, publicum

vero in internum et externum. (§. 22.) Internum, quod primam juris publici partem conſtituit, in explicanda conſtitutione eccleſiae in ſe conſideratae, ſeu inſtitutione, indole, et ſubjecto poteſtatis eccleſiaſticae verſatur. Poteſtas vero eccleſiaſtica conſideranda eſt primo generatim, deinde ſingillatim tum relate ad univerſam eccleſiam, tum relate ad ſingulas eccleſias particulares. Itáque jus eccleſiaſticum publicum internum tribus conſtat ſectionibus. Quarum prima agit de poteſtate eccleſiaſtica generatim, et quidem 1) de inſtitutione poteſtatis eccleſiaſticae, ejusque natura et indole; 2) de ſubjecto ejusdem generatim, 3) de ſubjecto relate ad ſingulas partes, ſeu de diverſis gradibus hierarchiae eccleſiaſticae. Secunda de poteſtate eccleſiaſtica relate ad univerſam eccleſiam; hinc 1) de conciliis, deque eccleſia diſperſa, 2) de primatu. Tertia de poteſtate eccleſiaſtica relate ad ſingulas eccleſias particulares, et 1) quidem de patriarchis, primatibus et metropolitis, 2) de episcopis, 3) de capitulis eccleſiarum cathedralium, 4) de praelatis non episcopis, 5) de parochis.

Jus ecclesiasticum publicum.

Pars prior: *Jus ecclesiasticum publicum internum.*

Sectio prima: *De potestate ecclesiasticâ generatim.*

Caput primum.

De origine potestatis ecclesiasticae, ejusque naturâ et indole.

§. 62.

Necessitas potestatis ecclesiae visibilis.

Divinus servator Jesus Christus, dum in coelos assumtus, ad dexteram patris sedet, in omne quidem tempus manet Caput invisibile ecclesiae — I. Cor. XV. 25. Ephes. N. 15, V. 23, — quam regit tum doctrina et mandatis, teste enim apostolo I. Cor. III., 11 — fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod est Christus Jesus; tum singulari spiritus sancti auxilio, apostolis et per eos universae ecclesiae promisso, ut in ea et cum ea in aeternum maneat. Matth. XXVIII., 20. Joan. XIV., 16. Cum tamen e terra discessurus

hanc ſuam eccleſiam non immediate, ut hactenus, interventione, aut modo miraculoſo, ſed ad inſtar rerum humanarum conſervare vellet; atque propagare, neceſſe fuit, ut conſilio huic fini apto poteſtas humana viſibilisque conſtitueretur, cujus eſſet, juxta normam doctrinae et praeceptorum Chriſti ea omnia definire, ac exſequi, quae ad conſequendum eccleſiae finem pro diverſitate caſuum et indigentiarum pertinerent. Id ad conſervandum inter fideles unitatis vinculum eo magis erat neceſſarium, quum ex mente Chriſti in univerſo orbe terrarum inter tot tamque varias gentes, climate, indole moribusque diſcrepantes eccleſia ejus eſſet propaganda.

§. 63.

Chriſtus talem poteſtatem inſtituit in perſonâ Petri.

Hanc poteſtatem Chriſtus eccleſiae ſuae primo in perſonâ Petri concedendam promiſit, eidem dicens: Tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo eccleſiam meam, et portae inferi non praevalebunt adverſus eam, et tibi dabo claves regni coelorum; quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum et in coelis, Matth. XVI. 18. 19. *) Et iterum poſt reſurrectionem ſuam, cum diſcipulis ad mare Tiberiadis appareret: Paſce, inquit, agnos meos, paſce oves meas. Joan. XXI. 15 — 17. **)

*) Traditio *clavium* juxta uſum loquendi tum in veteri tum in novo teſtamento uſitatum poteſta-

tis largitionem ſignificat. Ita apud Iſaiam XXII. 22. ſumma poteſtas ſacerdotalis Eliacimo eſt promiſſa, his verbis: *dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, et aperiet, et non erit, qui claudat, et claudet, et non erit, qui aperiat.* Eadem loquendi formula occurrit in Apocalypſi III. 7, quâ ſupremum Chriſti in regno Dei imperium ſignificetur. *Ligare* et *ſolvere* vel eſt *a*) idem ac claudere, et aperire ſiquidem de uſu clavium, uti hoc loco, ſermo eſt, cum Hebraei foribus repagula obdere, easque clavibus reſerari conſueverint, vel *b*) quidquam vetare, vel pro vetito adfirmare, permittere vel pro licito adfirmare juxta uſum loquendi Hebraeis et Rabbinis conſuetum, vel denique *c*) aliquem reum judicare, aut inſontem abſolvere, quâ ſignificatione Graeci utuntur. Quiscumque vero horum verborum ſenſus eſſe videatur, ſemper poteſtatem quandam eminentiorem iisdem denotari manifeſtum eſt.

**) *Paſcere* ſecundum loca paralella idem eſt ac regere. Ita Davidi dicitur: *tu paſces populum meum Iſrael.* 2. Reg. V. 2, VII. 7. Eodem ſenſu vocabulum hoc accipitur II. Paralip. X. 16. Pſalm. LXXVII. 71. Jerem. XXIII. 1 — 4. Chriſtus ipſe bonum paſtorem ſeſe appellat, Joann. X. 11. Praeterea modum ſimul regendi mitem manſuetumque, et directionem charitate plenam, quae fiat verbo, et exemplo, dominationi oppoſitam, indicare videtur.

§. 64.

Omniumque Apoſtolorum.

Non ſolum Petro, verum etiam omnibus reliquis Apoſtolis poteſtatem hanc Chriſtus in eccleſiâ ſuâ conceſſit: Si peccaverit, inquit, in te frater tuus; vade, et corrige eum inter te et ipſum ſolum- ſi te audierit, lucratus

eris frâtem tuum, ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quodſi non audierit eos, dic eccleſiae; ſi autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta et in coelo, Matth. XVIII. 15 — 18. *) Sicut miſit me pater, et ego mitto vos. — Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta ſunt. Joan. XX. 21 — 23. **) Data eſt mihi omnis poteſtas in coelo et in terrâ, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia, quaecunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſaeculi. Matth. XXVIII. 18 — 20.

*) Verſus 17. et 18. procul dubio inter ſe cohaerent. Idcirco verba: *alligare* et *ſolvere* hoc loco eo ſenſu ſunt accipienda, ut *alligare* ſignificet, aliquem velut ethnicum et publicanum a communione eccleſiae excludere, *ſolvere* vero aliquem rurſus in communionem recipere. Eccleſiae vero nomine v. 17. neutiquam coetum Judaeorum loci cujusvis, ut quidam exiſtimant, ſed Chriſtianae eccleſiae antiſtites intelligendos eſſe nexus ipſe inter verſum 17. et 18. indigitat.

**) *Mittere* aliquem in facris litteris idem eft, ac munus quoddam alicui committere. Eo fenfu Chriftus ipfe dixit, fe effe a Patre miffum. Verbum *remittere* peccata, ftricte et proprie eft accipiendum; idem enim Matth. IV. 12. aliisque in locis, ubi de divinâ peccatorum remiffione fermo eft, occurrit. *Retinere* contra idem eft, ac non remittere.

§. 65.

Quam etiam Apoftoli vere exercuerunt.

Hanc poteftatem Apoftoli tum finguli, tum in unum collecti, omni datâ occafione exercuerunt. Et Paulus quidem pluribus in locis epiftolarum de ejusmodi poteftate a Domino ipfi in aedificationem fidelium traditâ, II. ad Corinth. X. 6—8. XIII. 10., de virgâ, quâ erga refractarios uti poffit, I. ad Cor. VI. 21. item de obedientiâ fibi praeftandâ, II. ad Cor. II. 9. VI. 6. II. ad Theffal. III. 14. loquitur. Idem varia quoad exteriorem ecclefiae difciplinam ftatuit, uti illa funt, quae de velando a mulieribus capite I. ad Cor. XI. 10., de agapis ibidem verf. 33., de ufu doni linguarum et prophetiae in publicis conventibus I. ad Cor. XIV., de bigamis et neophytis ab epifcopali munere excludendis I. ad Timoth. III. 2. 6., de diaconiffis V. 9 — 14., de presbyteris, qui, fi bene praefint, duplici honore digni habeantur. V. 17., 18., denique de accufationibus adverfus eosdem recipiendis V. 19. fanciuntur. Manifefte quoque jure puniendi utitur, cum in inceftuofum Corinthium I. ad Corinth V. 3 — 5., et in Hymenaeum et Alexandrum I. ad Timoth. I. 10. animadvertit. In unum collecti poteftatem, quâ

pollebant Apoſtoli, apertiſſime exhibebant in concilio illo Jeroſolymitano Act. XV., ubi de controverſià, utrum Chriſtiani ab ethnicis converſi ad obſervandas leges Moſis ceremoniales eſſent obſtringendi, actum eſt, communique conſilio decretum, illos ab hoc quidem onere immunes eſſe, debere tamen ab immolatis, ſanguine et ſuffocato abſtinere. *)

*) Ad *Apoſtolos* duntaxat et *ſeniores* illa quaeſtio delata eſt v. 2., quemadmodum etiam legitur, *illos* conveniſſe videre de verbo hoc v. 6. Fideles reliqui conventui quidem intererant, at ſuffragium non ferebant. Sententia ab Apoſtolis lata praeceptum proprie tale, non merum conſilium complectitur; ſcriptum eſt enim iis, qui ſunt Antiochiae, et Syriae, et Ciliciae fratribus ex gentibus, viſum eſſe Spiritui ſancto et apoſtolis, nihil ultra *imponere* ipſis *oneris*, quam haec neceſſaria, etc. v. 28. Paulus quoque perambulans Syriam et Ciliciam, praecepit eccleſiis, cuſtodire *praecepta* haec Apoſtolorum et ſeniorum v. 41. item XVI. 4. Falluntur igitur, qui aſſerunt, ſtatutum illud Apoſtolorum vel intra fines meri *conſilii*, vel voluntariae *conſenſionis* conſtitiſſe.

§. 66.

Poteſtas haec in eccleſiâ perdurat.

Cum poteſtas eccleſiaſtica Apoſtolis in bonum eccleſiae conceſſa, atque ad eccleſiam conſervandam ſit prorſus neceſſaria [§. 62.], fieri non potuit, ut poſt mortem Apoſtolorum exſpiraret, ſed opus ſane fuit, ut ſerie non interruptâ ad eorum ſucceſſores tranſiret. De transmittendâ vero hac in ſucceſſores poteſtate Apoſtolis curam non levem fuiſſe, e multis novi teſtamenti locis intelligitur. Ita Pau-

lus Timotheum Ephesi, et Titum Cretae episcopum constituit, utrumque talibus instruens praeceptis, quae eminentiorem potestatem perspicue demonstrant, uti videre est I. ad Timoth. III., V., II. ad Timoth. II. 25. IV. 2. ad Tit. I. 5—9. II. 15. Majores natu ecclesiae Asiaticae *) Miletum ad se vocatos admonuit, ut attenderent sibi et universo gregi, in quo a Spiritu sancto positi essent regere ecclesiam Dei, Act. Apost. XX. 18. Petrus quoque ad seniores conseniorem se ipse appellans scribit: Pascite, qui in vobis est gregem Dei etc. I. Pet. V. 1—4.

*) Sub nomine majorum natu ecclesiae non civitatis solum Ephesinae, sed universae illius regionis, seu provinciae Asiaticae antistites hoc loco intelligendos esse patet ex vers. 18. et 25., cui sententiae Irenaeus quoque aliique sancti Patres adstipulantur.

§. 67.

Cui fideles obedire tenentur.

Potestati huic antistitum ecclesiae ex parte fidelium respondet obligatio illorum praeceptis, quamdiu concessae a Christo potestatis fines non excedunt, obtemperandi. Qui ecclesiam non audit, ait Christus, Matth. XVIII. 17. sit tibi sicut ethnicus et publicanus, id est communione ecclesiae privatus; et quidquid ligaverint ecclesiae antistites, ligatum sit et in coelis, coram Deo scilicet et conscientià v. 18. Septuaginta duobus discipulis a se ad praedicandum evangelium missis dicit: qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit, Luc. X.

16. Paulus quoque Hebraeos monet: Obedite praepofitis veftris, *) et fubjacete eis; ipfi enim pervigilant, quafi rationem pro animabus veftris redditurí, ut cum gaudio hoc faciant, non gementes, hoc enim non expedit vobis, Hebr. XIII. 17.

*) Quo nomine veniunt praepofiti ecclefiaftici, uti ex contextu patet, praefertim fi verfus 7. cum verfu 24. confertur.

§. 68.

Poteftas haec eft mere fpiritualis.

Poteftas vero omnis ecclefiaftica, tam quoad finem, quam quoad media, mere eft fpiritualis. Et ad finem quidem quod attinet, praepofitis ecclefiae poteftatem fuam nonifi ad aedificationem, et fanctificationem hominum, non ad profanos qualescunque fines datam effe Apoftolus docet, II. ad Cor. X. 8. XIII. 10. Media autem, cogendi, fubditos, ecclefiae nulla fuppetunt, nifi quae in docendo, in admonendo, et in refractariis a communione ecclefiaftica five penitus five pro parte excludendis fita funt. Quodfi in quibusdam negotiis ad exteriorem ordinem fpectantibus, ac mediate folummodo ad virtutem, tanquam finem ecclefiae ultimum, tendentibus, vis externa cogens adhibenda quandoque videatur, magiftratus civilis auctoritas imploranda erit, absque cujus intervento ecclefiae non licet mediis cogendi temporalibus uti. Regnum meum, ait Chriftus, non eft de hoc mundo, Joan. XVIII. 36.

§. 69.

Quae ſit ab omni dominandi cupidine aliena.

Porro poteſtas eccleſiaſtica ab omni dominandi cupidine longe aliena ſit, ſeque lege charitatis tanquam lege fundamentali moderetur, oportet. Caveant igitur eccleſiarum antiſtites, 1) ne fidelibus jugum arbitrarium imponant, neve quid imperent, quod inſtitutione Chriſti non nitatur, vel ad bonum eccleſiae promovendum minus neceſſarium videatur: libertas evangelica, quam tantopere Paulus commendat Act. XV. 10. I. ad Cor. VII. 35. ad Gal. V. 1. illaeſa maneat. 2) Ne ſalutem ſingulorem ob bonum commune negligant, quemadmodum id in civili ſocietate non raro, et id quidem jure, obtinet, ſed ad exemplum paſtoris boni ovibus nonaginta novem in deſerto dimiſſis quaerant eam, quae perierat. Deinde 3) ne alium in infligendis poenis ſibi ſcopum proponant, praeterquam ut quos caſtigare debeant, ad meliorem frugem perducant, duritie animi, atque acerbitate procul amandata. 4) Denique ne faſtum profanum ſectentur, ſed potius erga inferiores demiſſi, modeſti, et charitate pleni ſint. Reges gentium, ait Chriſtus ad Apoſtolos, dominantur eorum, et qui poteſtatem habent, benefici vocantur; vos autem non ſic, ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor et qui praeceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Luc. XVII. 45. 26. Atque etiam Petrus ad ſeniores eccleſiae ſcribit: Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lucri

gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. I. Petr. V. 2. 3. Paulus item servum se ecclesiae esse dicit ad Coloss. I. 25., cujus ad exemplum Romani pontifices, primatum potestatis ecclesiasticae tenentes, servos servorum Dei sese appellare consueverunt.

§. 70.

Consistit tum in potestate ordinis.

Dividitur potestas ecclesiastica in potestatem ordinis, et jurisdictionis. Potestas ordinis est potestas, functiones cultus externi peragendi et sacramenta administrandi, denominationem suam ex eo sortita, quod per sacros ordines confertur. Legimus quippe in sacris litteris, diaconos ab ecclesiâ electos per orationem et impositionem manuum ab Apostolis ministerio ecclesiae fuisse consecratos, Act. VI. 6. Cum Paulus et Barnabas ad opus praedicationis inter gentes segregarentur, jejunantes et orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos, Act. XIII. 2. 3. Paulus admonet Timotheum, ne negligat, sed ut resuscitet potius gratiam, quam suscepit per impositionem manuum ipsius et presbyterii I. ad Timoth. IV. 14. II. Timoth. I. 6., eundemque cavere jubet, ne cuiquam cito manus imponat I. ad Timoth. V. 22. Potestas jurisdictionis est potestas jus dicendi in ecclesiâ. Haec tamen divisio in potestatem ordinis et jurisdictionis non ita est intelligenda, ut per sacros ordines prior duntaxat, non posterior tribuatur. Recentiori primum

aevo discrimen illud invaluit, ut ad exercitium jurisdictionis sola ordinatio non sufficeret, sed singularis insuper missio, seu assignatio gregis exigeretur. In antiquâ ecclesiâ, ubi clerici nonnisi ad ministerium nominatae cujusdam ecclesiae ordinabantur, atque consecratio et confirmatio episcoporum uno eodemque actu fiebant, mos hodiernus, utramque potestatem ordinis et jurisdictionis ministris ecclesiae singillatim conferendi, penitus ignotus erat.*)

*) Discriminis inter utramque potestatem effectus juxta hodiernam disciplinam in eo potissimum comparet, quod exercitium quidem jurisdictionis, nequaquam vero exercitium ordinis, eum in modum possit limitari, ut actus propterea fiant invalidi. Ita v. g. presbyter suspensus valide quidam Missam celebrat, non autem valide a peccatis absolvit, eo quod ad absolutionem assignatio gregis est necessaria, quae ad celebrationem Missae non requiritur.

§. 71.

Tum in potestate jurisdictionis, quae est interna et externa.

Jurisdictio ecclesiastica, seu potestas jus dicendi in ecclesiâ, partim interna est, quae ad conscientiam duntaxat spectat, partim externa, quae extrinsecus vim suam exserit. Eâdem ratione forum ecclesiae aliud internum, seu conscientiae, aliud externum dicitur; in foro interno quaeritur, quid coram Deo et conscientiâ, in foro externo, quid coram ecclesiâ: quâ societate externâ et visibili, justum sit aut injustum. Legitimae tamen constitutiones ecclesiae ad forum externum pertinentes pro foro quoque interno vim habent (§. 67.), eo quod fideles iisdem obtem-

perare in confcientia obligantur. Jurisdictio interna proprie ad facramentum poenitentiae refertur, eftque Apoftolis eorumque fucceffori- bus coceffa illo effato Chrifti: Quorum remiferitis peccata etc. (§. 64.) Jurisdictio externa poteftate ecclefiae legislatoriâ, judiciariâ et executivâ circumfcribitur.*)

*) Termini hi technici e jure civitatis ad jus ecclefiafticum translati naturam poteftatis ecclefiafticae, utpote quae a civili poteftate multum diftat, parum commode exprimunt.

§. 72.

Poteftas ecclefiaftica jus determinandi ea, quae ad confequendum ecclefiae finem pertinent, in fe complectitur (§. 62.). Determinationes hae regulas practicas, quibus fideles actiones fuas liberas conformare tenentur, (§. 67.) id eft, leges conficiunt, quae tamen ex ufu loquendi in ecclefiâ recepto, mitiore nomine, quo a legibus civilibus difcernantur, canones vocari folent. Ecclefiae vero ejusmodi poteftatem legislatoriam competere, ex iis liquet, quae (§. §. 63 64.) de inftitutione poteftatis ecclefiafticae generatim dicta funt; ficuti et poteftatis ejusmodi exercitium temporibus Apoftolorum in iis potiffimum comparet, quae ad decidendam cauffam de obfervandâ lege ceremoniali ftatuta, item quae ab Apoftolo Paulo de variis difciplinae ecclefiafticae materiis decreta fuiffe leguntur.

Ad externam pertinet poteftas legislatoria.

§. 73.

Quae refertur tum ad res dogmaticas.

Leges ecclesiasticae dogmaticae sunt aliae, aliae disciplinares (§. 13.). Dogmatica ad objecta fidei et morum substantialia, nullique mutationi obnoxia restringuntur, suntque nonnisi traditionis perpetuae et universalis in ecclesia vigentis declarationes, quibus aut dubia de doctrina et institutione Christi solvuntur, aut haereses, si quae exortae sunt, damnantur. Ecclesia quippe nequaquam nova dogmata condit, sed, quod semper et universim pro doctrina et institutione Christi habitum est observatumque, novà solum declaratione explanat et promulgat.

§. 74.

Tum ad disciplinares.

Leges disciplinares, quae in definiendis accidentalibus ecclesiae negotiis, mutationique obnoxiis versantur, vel immediate aedificationem fidelium, vel externum duntaxat ordinem immediate respiciunt (§. 18.) Leges ejusmodi cum naturam potestatis ecclesiasticae (§. 69.) sequantur, neutiquam e mero arbitrio, sed ob ecclesiae necessitatem, utilitatemque ferendae sunt, unde sequentia dimanant consectaria: 1) Cum necessitates ecclesiarum particularium sint variae ac multiplices, proinde fieri non raro possit, ut leges eaedem, aliis ecclesiis proficuae, aliarum indoli ac conditioni adversentur, consentaneum est, et spiritui ecclesiae, et naturae potestatis ecclesiasticae, ut, si novae leges disciplinares universales conduntur, episcoporum singulo-

rum ſit, eas, utrum bono ſuarum eccleſiarum conveniant, examinare, et ſiquidem ei non convenire videantur, earumdem receptionem et promulgationem recuſare. *) 2) Cum porro in eccleſia ſalutem ſingulorum boni communis cauſſa negligere nunquam liceat, (§. 69.) ſequitur, leges diſciplinares relate ad ſingulos vi obligandi deſtitui tum, cum vel obſervatio legis ſaluti illorum impedimento ſit, vel earum legum, quae ad virtutem ſingulorum adjuvandam unice pertinent, fructus ſpiritualis obtineri amplius non poſſit. Quo tamen caſu emergente neceſſe eſt, ut, qui ab obligatione legis liber eſſe cupit, tum pro eâ, quam eccleſiae debet, veneratione ac obſervantià ad ſuperiorem eccleſiaſticum rem deferat, et diſpenſationem petat, tum omne, quod inde naſci poſſit, ſcandalum ſollicite evitare conetur. 5) Ceſſat denique obligatio legum diſciplinarium, ubi cum mandatis divinis, officiisque eminentioris generis colliduntur.

*) *Leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur, dum moribus utentium approbantur.* Gratian. ad can. 3. Diſt. IV. vid. Juenin Inſtit. theol. tom. 5. Diſſ. 6. qu. 2. cap. 4.

§. 75.

Poteſtatis eccleſiaſticae porro eſt, tam de cauſſis jura eccleſiaſtica concernentibus, quam de delictis contra leges eccleſiaſticas commiſſis judicium ferre, in quo poteſtas eccleſiae judicaria ſeu jurisdictio in ſenſu ſtrictiori ſita eſt; quae cum tota in eo verſetur, ut ad leges caſus particulares applicet, quidque — Poteſtas judiciaria.

juxta illas in caſu quovis obveniente juris ſit, decernat, ex poteſtate legislatorià, tanquam fonte, dimanat. Poteſtatem hanc judiciariam inde a tempore Apoſtolorum ab eccleſia fuiſſe exercitam, ex illo praecipue eſſato Apoſtoli Pauli elucet, quo monet Timotheum, ne accuſationem adverſus presbyterum, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus, recipiat. I. ad Tim. V. 19.

§. 76.

Materia poteſtatis judiciariae.

Poteſtas eccleſiae judiciaria ſeu jurisdictio ſtricte talis ex dictis tum ad jura eccleſiaſtica (§. 17.) tum ad delicta eccleſiaſtica refertur, eaque ratione vel civilis, vel criminalis, improprio licet nomine, vocari ſolet. Jurisdictio civilis vel inter partes litigantes, vel inter volentes exercetur, atque ita in jurisdictionem contentioſam et voluntariam dividitur. Cum poteſtas omnis eccleſiaſtica mere ſit ſpiritualis, (§. 68.) in propatulo eſt, judiciariam quoque intra ſines cauſarum ſpiritualium ad fidem, mores, et diſciplinam pertinentium, et delictorum ſtricte eccleſiaſticorum contineri. Quod autem Apoſtolus Paulus I. ad Cor. VI. 1—8 de judiciis ſaecularibus inter fratres a fratribus pertractandis commemorat, id ſine dubio de amicabili compoſitione, quam Paulus ad evitanda inter infideles ſcandala commendat, eſt intelligendum.

§. 77.

Demum poteſtas executiva.

Omnis ſocietas jus habet, ſocium legibus ſocialibus obtemperare pertinaciter detrectantem, bonorum juriumque communium uſu

prohibendi, quin et penitus excludendi. Res enim ipſa poſtulat, ut qui pactum ſociale non ſervat, nec commoda ſocietatis ſibi juſte vindicet. Itaque cum eccleſia ſit ſocietas, eidem jus tribuendum eſt, delicti eccleſiaſtici reum a communione bonorum ſpiritualium, juriumque eccleſiaſticorum ſive penitus ſive pro parte excludendi, in quo coactio, poenaque eccleſiaſtica ſita eſt (§. 18). Eccleſiae autem in irrogandis poenis mens alia eſſe nequit, niſi ut aut reus ad agnitionem culpae atque emendationem impellatur, aut ſi emendationis ſpes nulla ſuperſit, ſaltem ſcandalum tollatur, neve bona ſpiritualia eccleſiae ſecus, ac illorum fert natura et conditio, indignis projiciantur. Matth. VII. 6. Competit igitur eccleſiae jus cogendi ſeu puniendi, quod poteſtatem eccleſiae executivam vel coercitivam vocare ſolent. Jus hoc apud Matth. XVIII. 17. 18. (§. 64.) indicatur, exemplisque tum inceſtuoſi Corinthii I. ad Cor. V. 3 — 5. tum Hymenaei et Alexandri I. ad Timoth. I. 20., quos Apoſtolus Paulus tradidit Satanae in interitum carnis, ut ait, ut ſpiritus ſalvus ſit, comprobatur. *)

*) Sive hoc loco morbum corporeum, ſive excommunicationem, ſive utrumque intelligas, id ſaltem concedas neceſſe eſt, Apoſtolum ut praepoſitum eccleſiae. prout loquendi formula I. ad Cor. V. 3 — 5. manifeſte indicat, hic loci jus puniendi exercuiſſe.

§. 78.

Poteſtas eccleſiae executiva intra fines delictorum eccleſiaſticorum poenarumque eccle- Natura poenarum et

poenitentiarum ecclesiasticarum.

siasticarum continetur. Oportet autem, quemadmodum jurisdictionem ecclesiae internam ab externâ, ita quoque poenitentias a poenis seu censuris ecclesiasticis probe discernere. Illae sunt remedia mentis vitaeque emendandae, ad forum internum et sacramentum poenitentiae spectantia, eumque in finem tendunt, ut poenitens ad detestandum magis magisque peccatum perducatur, et, si publicae sunt ut scandalum; quod peccando datum est, reparetur. Neque in delictis solum ecclesiasticis, sed in omnis generis peccatis castigandis versantur, neque in eo duntaxat sitae sunt, ut poenitens a sacrorum quorumdam communione ad tempus removeatur, sed quandoque in castigationibus etiam corporis, abstinentiisque consistunt, verum tamen voluntario prorsus poenitentis consilio, prout fert natura poenitentiae, susceptis, quanquam ad eas sponte suscipiendas poenarum comminatione peccator compelli possit. Poenae autem seu censurae ecclesiasticae, ad forum externum pertinentes, intra limites delictorum ecclesiasticorum, quibus tamen pervicacia in detrectandâ ecclesiasticâ poenitentiâ adnumeranda est, continentur, in eoque solum sitae sunt, ut peccator a bonorum spiritualium, juriumque ecclesiasticorum communione arceatur. Poenae hujus generis minime voluntarie suscipiuntur, sed contra peccatoris voluntatem irrogantur, exsecutionique mandantur.

Caput secundum.

De subjecto supremae potestatis ecclesiasticae.

§. 79.

Supremam potestatem ecclesiasticam, quae nomine potestatis clavium, ligandi et solvendi venit, (§. §. 64. 65.) Christus Dominus non omnibus ecclesiae membris, sed solis Apostolis, neque soli Petro, sed omnibus Apostolis impertitus est. Omnibus quippe dictum est: Quaecumque alligaveritis super terram etc. Matth. XVIII. 17. 18. Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos, Joann. XX. 11. Euntes docete omnes gentes etc. Math. XXVIII. 18—20. Quodsi soli Petro dixit: Tu es Petrus etc. Matth. XVI. 18. 19. *) Pasce oves meas, Joann. XXI. 15—17. **) Id non exclusive, sed ita potius accipiendum est, ut Petrus claves, pascendique munus sortitus, quemadmodum SS. Patres docent, Apostolos reliquos repraesentâsse censeatur. Idcirco non Petrus, sed omnes Apostoli simul fundamentum constituunt, in quo templum ecclesiae constructum est: ad Ephes: II. 20. 21. Apocal. XXI. 14. Et qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et Paulo inter Gentes, ad Gal. II. 7. 8.

Potestas eccles. suprema omnibus Apostolis a Christo est collata.

*) Contextus hujus loci postulat, ut cognomen istud Petri, promissumque Christi, sese super hanc petram (petra syriace idem est ac Petrus) ecclesiam suam aedificaturum, ad confessionem Petri paulo ante factam: *Tu es Christus etc.* tanquam caussam moventem, referatur. Unde Patres quamplurimi scriptores - que ecclesiastici locum hunc ita interpretantur, ut ecclesiam proprie super fidem in Christum, quam Petrus confessus est, quasi super petram, aedificatam censeant, quos recenset Natalis Alexand. Hist. eccles. Diss. 4. in facc. XV. art. 1. §. 3. n. 11. Conferatur super eodem loco commentarius Bonifacii a. S. Wunibaldo. (Schnappinger)

**) Mandatum hoc, pascendi oves, soli Petro datum, proindeque ipsum unicum esse pastorem in ecclesiâ, dici nequit, quin aliis sacrarum litterarum locis, veluti Act. XX. 28. ad Ephes. IV. 11. aperte contradicatur, in quibus certum prorsus exploratumque redditur, plures a Christo pastores in ecclesiâ fuisse constitutos.

§. 80.

Petrus inter Apostolos primatum tenuit.

Etsi vero Christus supremam in ecclesiâ potestatem Apostolis omnibus concesserit, singulari tamen modo Petrum uti primum inter ipsos discrevit. Praerogativa haec seu primatus Petri elucet ex eo, 1) quod ei potestatem hanc, utut reliquis Apostolis communem, in locis allegatis Matth. XVI. 17. 18. Joann. XXI. 15 — 17. peculiari quâdam et excellente ratione contulerit: 2) Quod Evangelistae, quoties de Apostolis sermo est, Petrum ferè semper nominatim, eumque primum commemorent v. g. Matth. X. 2. Marc. I. 36. III. 16. Luc. VI. 14. 3) Quod idem, cum de negotiis ecclesiasticis communibus, ut de electione novi Apo-

ſtoli in locum Judae Act. I. 15. dein de obſervandâ a Gentibus lege ceremoniali Act. XV. 7, ageretur, primus verba faceret, primasque in deliberatione, ferendaque ſententiâ partes haberet. Plura alia exempla de uſu jurium primatialium e temporibus Apoſtolorum afferri non poſſe, mirum nemini videbitur; qui meminerit, illo aevo, quo Apoſtoli etiam ſinguli ſingularibus Spiritus ſancti donis inſtructi fuerunt, ac a ſe invicem longiſſime diſſiti, fidem Chriſtianam propagârunt, nec indigentias illas nec occaſiones, quae exercitium jurium primatialium exigerent, uti recentioribus temporibus adfuiſſe.

§. 81.

Teſtimonia SS. Patrum de poteſtate Apoſtolorum et primatu Petri.

Supsemam in eccleſia poteſtatem Apoſtolis omnibus traditam, primatum vero inter eosdem divo Petro conceſſum eſſe, unanimis eſt doctrina SS. Patrum, quorum teſtimonia ſelecta, maximeque momoratu digna hic loci adferre libet. *)

*) *Super illum unum* (Petrum) *aedificat eccleſiam ſuam, et illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat et dicat: ſicut miſit me Pater etc., tamen ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, et unitatis originem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique et ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio praediti et honoris et poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, et primatus Petro datur, ut una Chriſti eccleſia et cathedra una monſtretur.* Cyprian. Lib. de unit. eccl.

Negare non potes ſcire te in urbe Româ Petro primo cathedram epiſcopalem collatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus eſt, in quâ unâ cathedrâ unitas ab omnibus ſervaretur. Optat Milev. Lib. 2. contr. Parmenium.

At dicis, ſuper Petrum fundatur eccleſia, licet idipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, et cuncti claves regni coelorum accipiant, et ex aequo ſuper eos eccleſiae fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchismatis tollatur occaſio. Hieronym. Lib. 1. adv. Jovinian.

Licet enim, cum omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſponderet: Tu es Chriſtus etc. et ei dicitur: tibi dabo claves etc. (nemo tamen putet) *tanquam ligandi et ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem, cum et illud unus pro omnibus dixerit, et hoc cum omnibus tanquam perſonam gerens ipſius unitatis acceperit. Ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus.* Auguſtin. tract. 116. in Joann.

Tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, et ad omnes eccleſiae principes decreti hujus (tibi dabo claves etc.) conſtitutio commeavit; ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis eccleſiae rectoribus Petri forma proponitur. Leo M. ſerm. 3. in aniverſ. ſuae aſſumpt.

§. 82.

Quo ſenſu clavium poteſtas eccleſiae tradita intelligenda ſit.

Quo ſenſu intelligenda ſit poteſtas clavium eccleſiae data, cujus mentio frequens ſit in SS. Patribus et in Concil: Trid. ſeſſ. 14. Cap. 15. ex dictis patet. Sub eccleſia nimirum aut tota ſocietas eccleſiaſtica clericis et

laicis conſtans, aut antiſtites ſolum, eccleſia docens intelligi poteſt. Poteſtas clavium proprie apoſtolis, aut eccleſiae docenti tradita eſt; toti vero caetui eccleſiaſtico eo tantum reſpectu, in quantum tota in ſalutem ipſius eſt deſtinata, atque perpetuo in eccleſia conſervatur, quin ad certas quasdam reſtricta ſit perſonas; non tamen, eo ſenſu, ac ſi eccleſiae antiſtites a tota ſocietate eccleſiaſtica laicis quoque computatis poteſtatem ſuam acciperent, ab eaque dependerent. *)

*) Videtur itaque quaeſtio illa controversa de eccleſiaſtica et politica poteſtate, quam Edmundus Richer excitaverat, in meras logomachias abire. Vide: Dionyſii Petavii. de eccl. hierarchia. lib. 3. cap. 14. ſeq: Juſtin. Febron. Comment. in ſuam retractationem. poſitio I.

§. 83.

Tametſi id, quod Apoſtolis tanquam teſtibus reſurrectionis, primisque evangelii praeconibus a Chriſto immediate electis proprium, eorumque perſonis ac temporibus ſingulariter conceſſum fuit, ut e. g. donorum Spiritus ſancti extraordinarioum largitio, morte Apoſtolorum ceſſaverit, poteſtas tamen eccleſiaſtica in bonum totius eccleſiae tributa, iis exſpirantibus minime exſpiravit, (§. 66.) Quare quae fuit ordinaria Apoſtolorum poteſtas, ea in epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores tranſiit. Quod et unanimi SS. Patrum doctrinà *) et expreſſà concilii Tridentini definitione Seſſ. 23. de ſacr. ordin. Cap. 4, comprobatur.

Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores.

*) *Manifesta est sententia*, ait Episcopus Clarus in concil. Carthagin. de ann. 255. ut refert. S. Augustinus lib. 7. de Bapt. contr. Donat. cap. 43. *Domini nostri Jesu Christi, mittentis suos Apostolos, et ipsis solis potestatem sibi a Patre datam permittentis, quibus nos succedimus eâdem potestate ecclesiam Domini gubernantes.* Cyprianus quoque epist. 42. ad Cornel. Pap. *Hoc vel maxime, inquit, frater, laboramus et laborare debemus, ut unitatem a Domino et per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus.* Item Augustinus in Psalm. 44. *Patres missi sunt apostoli, pro apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt episcopi. Hodie enim qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? ipsa ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus patrum.* Denique Hieronymus in epist. ad Evagr. *Ubicunque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est et sacerdotii, — omnes Apostolorum successores sunt.*

§. 84.

Quorum potestas immediate est a Deo.

Potestas igitur episcopalis perinde, ac potestas Apostolorum, quâcum una est eademque, divinae procul dubio est institutionis. Episcopi quippe positi sunt a Spiritu sancto, regere ecclesiam Dei Act. XX. 28, potestatemque suam, tam eam, quae est ordinis, quam quae jurisdictionis (§. 70.) plenam et indivisam omnes aequâ ratione per consecrationem nanciscuntur, quin ab eorum, a quibus eliguntur, confirmantur, et consecrantur, arbitrio ullo modo pendeat, vel plus vel minus potestatis in ipsos transferre. Id quod ipsa quoque verba demonstrant, quibus episcopus consecrans utitur, cum pedum pastorale in signum

jurisdictionis, annulumque veluti matrimonii ſpiritualis cum eccleſiâ ſymbolum tradit. In eo tantum inter Apoſtolos et eorum ſucceſſores epiſcopos diſcrimen verſatur, quod Apoſtoli ab ipſo Domino ſunt electi, et extraordinariis Spiritus ſancti donis, prout neceſſitati temporis conveniebant, inſtructi, epiſcopi vero ab hominibus eliguntur, et ab aliis epiſcopis, olim nimirum a Metropolitâ et concilio provinciali, hodie autem a Romano pontifice, confirmantur et conſecrantur; dein quod Apoſtoli poteſtatem ſuam jure ordinario ubivis terrarum exercuerunt, epiſcoporum vero poteſtas, quantum ad exercitium, factâ dioeceſium diviſione regulariter finibus dioeceſeos circumſcribitur. Patet igitur, epiſcoporum poteſtatem eſſe immediate a Deo, non quidem ſpectatâ electione perſonae, vel gregis aſſignatione, ſed ſpectatâ naturâ et indole poteſtatis. *)

*) Teſtimonia Patrum, atque ipſorum etiam Romanorum pontificum de immediatâ divinâ origine poteſtatis epiſcopalis videre eſt apud Natal Alexnd. Diſſ. 12. in ſec. 13. et 14. num. 14. 15. Quid vero de hac re in concilio Tridentino actum ſit, idem refert Diſſ. 12. in ſec. 15. et 16. art. 13.

§. 85.

Epiſcopus Romanus eſt ſucceſſor Petri.

S. Petrum Romae vixiſſe, ibique donec ſub Nerone Imperatore martyrii palmam obtinuerit, eccleſiae praefuiſſe, ſancti Patres uno ore teſtantur, quos refert Natalis Alexander hiſt. eccl. Diſſ. 13. ſec. prim. Quemadmodum igitur epiſcopos omnes, ſucceſſores eſſe Apoſtolorum in poteſtate eccleſiaſticâ obſervavimus, ita

episcopum quoque Romanum Petri in primatu successorem reveremur. Quippe primatus, non minus in ecclesiâ perpetuus jugisque, divinae est, sicut munus episcopale, institutionis, ita ut successor Petri ex divinâ institutione primas sit inter ceteros episcopos. Ut vero Romanus episcopus successor Petri salutaretur, adeoque primatus Romanae potius quam alteri ecclesiae inhaereret, nonnisi facto Petri Romae considentis, ibique mortem oppetentis, effectum est. *)

*) Natal. Alex. Differt. 13. in secul. primum. Ita rem declarat ipse Bellarminus lib. 2. de Rom. pontif. cap. 12. §. 15. Pehem praelect. in Inst. eccl. §§. 165. 166.

§. 86.

Finis primatus, ejusque genuina notio.

Vidimus supra, (§. 81.) a sanctis Patribus, cum traditionem dogmatis de primatu ecclesiae testantur, perspicue simul indicari, quem in finem primatus sit institutus; unde proin genuina ejusdem notio hauriri potest. Finis hinc in conservandâ ecclesiae unitate reponitur, quam in unitate fidei et pacis, seu communionis sitam esse (§. 13.) diximus. Unitas vero in ecclesiâ conservanda est per episcopos, quibuscum inferioris ordinis pastores, perque istos fideles omnes consociati, sunt inter episcopos autem per eum, qui episcoporum primus est. Hunc tanquam centrum unitatis omnes suspiciant cum eodem singuli litterarum commercio, consiliorumque communicatione conjungantur oportet. Hic praesit collegio episcoporum in unum collecto,

rerumque gerendarum ordinem dirigat; extra concilium vero ad mentem totius collegii ejusque vices gerens univerſalis eccleſiae negotia curet eumque in finem, quae ſunt neceſſaria, modo, ut ajunt, proviſorio, conſtituat. Unde recte colligitur, primatum eccle, ſiae non ſolà honoris praerogativà abſolvi, ſed eſſe ſimul primatum auctoritatis in obeundis eccleſiae negotiis, jurisdictionis ad auctoritatem hanc tuendam neceſſariae. *)

*) Argumenta alia complura de inſtitutione primatus ex teſtimoniis Patrum, et praxi eccleſiae depromta legi poſſunt apud Natal. Alex. Diſſ. 4. in ſec. prim.

§. 87.

Ex his recta notio de formâ regiminis eccleſiaſtici obtinetur. Suprema nimirum in eccleſiá poteſtas omnibus Apoſtolis (§. 79.), eorumque ſucceſſoribus epiſcopis (§. 83. 84.) a Chriſto eſt collata. Epiſcopi vero vel univerſim ut corpus ſeu collegium, vel ut ſinguli conſiderari poſſunt. Univerſim ſive ſint in concilio congregati, ſive diſperſi, ſupremum eccleſiae ſenatum conſtituunt, cui primas eccleſiae, epiſcopus videlicet Romanus, praeſidet, praecipuas in dirigendis negotiis partes tenens, qui tamen eo non obſtante toti collegio tanquam ſupremo ſenatui ipſe quoque ſubſit. Singuli vero poteſtatem eccleſiaſticam factà dioeceſium partitione regulariter in ſuis duntaxat dioeceſibus, originetenus autem et in caſibus neceſſitatis hodiedum ubivis terrarum exercent, ſalvâ

Exponitur forma regiminis eccleſiaſtici.

tamen, quam et toti collegio, et in caussis ad potestatem primatialem pertinentibus Romano pontifici debent, canonicà obedientià. *)

*) Uti potestas ecclesiastica a civili, natura sua et indole, quam maxime discrepat, ita nec nomina diversis imperii civilis formis propria, ut monarchia, aristocratia, et democratia, regiminis ecclesiastici formae recte accomodantur. Relinquamus Aristotelem et sequamur Christum, bene monet Cl. Pehem. Praelect. in jus eccl. P. 1. sect. 1. cap. 9.

§. 88.

Quo sensu potestas episcoporum sit aequalis.

Ex hàc formae regiminis ecclesiastici notione jam intelligitur, quo sensu aequalitas episcoporum a SS. Patribus asserta (§. 81.) sit accipienda. Sunt quippe inter se aequales, primum quod ejusdem supremae potestatis ecclesiasticae sint consortes; similique in decernendis universalis ecclesiae negotiis, salvà Romani pontificis ut praesidis dignitate, jure suffragii gaudeant, dein quod singuli iisdem prorsus juribus suis in dioecesibus utantur, quae Romano episcopo quà tali suà in dioecesi competunt. Patet igitur, assertione illà rite intellectà nullam omnino juribus primatus injuriam inferri.

§. 89.

Summam potestatem eccles. collegio episco-

Quam exposuimus regiminis ecclesiastici formam, quà summa in ecclesià potestas universo episcoporum collegio, cui ipse quoque Romanus pontifex subsit, vindicatur, perpe-

tua ecclesiae praxis liquide confirmat. *) Cum enim, uti in Actis Apostolorum XV. legimus, controversia exorta esset, utrum fideles e Gentibus conversi lege Mosaicâ ceremoniali tenerentur, illa non soli Petro, sed omnibus Apostolis ac senioribus Jerosolymis congregatis definienda proponebatur (V. 2.), qui omnes conveniebant, videre de verbo hoc (v. 6.). Ac licet ille primus rem proposuisset, (v. 7.) reliqui tamen postea libere suffragia tulerunt, et Jacobus quidem suffragio Petri praeceptum illud addendum definiit, ut fideles e Gentibus conversi ab immolatis, fornicatione, suffocato et sanguine abstinerent (v. 13 — 20.). Sententia autem ex mente Jacobi nomine omnium Apostolorum seniorumque (v. 23.) lata est his verbis: visum est Spiritui sancto et nobis (v. 28.).

porum, non soli primati competere, ostenditur 1. ex sacris litteris.

*) Qui de materiâ hâc, cui etiam quaestio de infallibilitate pontificis cohaeret, plura scire cupit, adeat Bossueti defens. declar. conv. cler. gallic. in Diss. praev. et lib, 5 — 9. Natal. Alexand. Diss. 4. in sec. 15. et 16. Anonym. de potest. eccl. et temp. sive declar. cler. gallic. propos. 2. Curalt genuin. jurisprud. sacr. princ. Part. 1.

§. 90.

Alterum argumentum nobis suppeditat historia ecclesiastica, exhibens exempla episcoporum venerandae antiquitatis, qui decretis pontificiis sive disciplinam, sive ipsam quoque fidem concernentibus restiterunt, ecclesiae universalis judicium exspectantes, quin propterea pro haereticis aut schismaticis

2. ex eo, quod saepe eccles. particulares decretis pontificiis restiterint

haberentur. Quo pertinet imprimis Polycrates Ephefinus cum epifcopis Afiaticis exeunte faeculo fecundo, cum de tempore celebrandi pafchatis cum Victore Romano pontifice difceptaretur; *) item Cyprianus Carthaginenfis cum Africanis, Dionyfius Alexandrinus cum Aegyptiacis, et Firmilianus Caefareenfis cum Afiaticis epifcopis, ratione controverfiae de rebaptizandis haereticis cum Stephano fummo pontifice faeculo tertio agitatae; **) dein concilium Carthaginenfe VI. de anno 418., cum de Romanis appellationibus cum Zofimo ejusque fucceffore contentio effet. ***)

*) Epifcopi illi Afiatici mori fuo antiquo celebrandi pafcha lunâ decimâ quartâ, in quemcumque diem incideret, conftanter inhaerebant, quin excommunicationem a Victore fibi intentatam timerent. Eufeb. hift. eccl. lib. 5. cap. 21 — 24. Cum vero mos hic a concilio Nicaeno oecumenico rejectus fuiffet, ii, qui definitioni huic morem gerere detrectantes obfervantiam Afiaticam retinebant, Quarto-decimani dicti pro haereticis haberi coeperunt.

**) Licet Stephanus errorem hunc de rebaptizandis haereticis quam maxime reprobâffet, ejusque affeclas ac imprimis Cyprianum, ut multi arbitrantur, etiam excommunicâffet, hi tamen in communione ecclefiae femper perfeverârunt, propterea, quod res a concilio generali nondum effet definita. *Nequei ipfi praeciderunt*, ait S. Auguftin. lib. 5. de bapt. contr. Donat. cap. 22, *neque diverfa fentientes praecidi paffi funt, donec aliquando in Domini voluntate per plenarium concilium, licet poft multos annos, quid effet rectius, eluceret.* Fuit autem definita illa quaeftio in concilio Arelatenfi, an. 313. habito can. 8., quod, licet nonnifi particulare fuerit, mentem tamen

universalis ecclesiae in definiendâ hâc quaestione eidem assentientis recte explicuit.

***) Ut apellationes has tueretur Zosimus, ad canonum Nicaenorum, quorum nomine Sardicenses canones in animo habuit, auctoritatem provocavit. Cui patres Carthaginenses responderunt, si id, quod Zosimus vellet, in canonibus Nicaenis reperiretur, iisdem sine mora sese morem gesturos. Missi sunt nuncii Alexandriam et Constantinopolim, qui inde exemplaria authentica concilii Nicaeni adferrent. Quae postquam advenissent, nihilque prorsus de appellationibus Romanis continerent, scripserunt illi ad Pontificem Coelestinum hoc modo: *Impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Nicaeno concilio definitum facile advertet venerabilitas tua, etc.*

§. 91.

Sententia haec, supremam nimirum in ecclesiâ potestatem ad universum episcoporum collegium, non ad primatum solum pertinere, actis quoque conciliorum generalium probatur, quae demonstrant, quaestiones fidei a Romanis pontificibus jam decisas in conciliis generalibus denuo in examen vocatas, cunctisque negotiis ecclesiasticis, quidquid pontifices de illis decrevissent, nonnisi in conciliis finem fuisse impositum. Quod imprimis relate ad haeresim Nestorii, quam Coelestinus I. damnaverat, in concilio generali Ephesino de ann. 431., uti et quoad haeresim Eutychetis, de quà Leo M. judicium tulerat, in concilio Chalcedonensi de ann. 451. factum esse constat.

3. Ex actis conciliorum generalium.

Concilium porro Constantinopolitanum II. de ann. 553. tria sic dicta capitula per constitutum Vigilii Pontificis approbata, ut haeretica damnavit. Concilium tertium Constantinopolitanum haereticam Monotelitarum doctrinam, quam Honorius Pontifex defenderat, ejus vero successores Martinus et Agatho reprobaverant, denuo examini subjecit, et condemnavit, Honorio inter haereticos numerato. Quid quod ab ipso quoque concilio Tridentino errores Lutheri a Leone X. jam antea condemnati iterum examinati sunt, atque proscripti, nullà sententiae pontificiae, habitâ ratione.

§. 92.

4. Ex testimoniis SS. Patrum.

Idem quoque SS. Patres testantur, qui unanimi consensione affirmant, Christum potestatem clavium universae ecclesiae, id est, toti (§. 79—82.) episcoporum collegio, non soli primati contulisse, quos inter S. Augustinus *) dein summi pontifices Leo M. **), et Gregorius M. ***) potissimum sunt commemorandi.

*) S. Augustinus, cum de Donatistis a Pontifice Melchiade jam condemnatis loquitur epist. 162: *Ecce putemus, inquit, illos episcopos, qui Romae judicârunt, non bonos judices fuisse; restabat adhuc plenarium ecclesiae universae concilium, ubi cum ipsis judicibus caussa posset agitari, ut si male judicâsse convicti essent, eorum sententiae solverentur.* Quodsi idem serm. 131. de verb. Evang. Joann. de haeresi Pelagianâ verba faciens ait; *jam de hâc caussâ duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, caussa finita est* — id nonnisi de ecclesiae dispersae consensu, quem tum definitiones illae conciliorum, tum rescripta sedis apostolicae demonstrabant, est intelligendum.

**) Etsi jam sententiam damnationis in haeresim Eutychianam dixisset S. Leo, convocationem tamen concilii generalis ad caussam hanc finiendam ab Imperatore Theodosio petiit, epist. 25. ad Theodos. Imp. *generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quae omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid sit ultra vel in fide dubium vel in charitate divisum.*

***) *Sicut sancti evangelii quatuor libros*, ait S. Gregorius lib. 1. epist. 24. ad Joann. Constant., *sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor — quintum quoque concilium pariter veneror — Cunctas vero, quas praefata veneranda concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur, amplector, quia dum universali sunt consensu constituta, se, non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere, quos ligant, aut ligare, quos solvunt*, *Ap.* Gratian. Dist. 15. can. 2. Idem titulum episcopi *universalis* summo studio repudiavit lib. 8. epist. 30. ad Eulog. Alexandr.

§. 93.

Denique a concilio generali Constantiensi sess. 4. expressis verbis fuit definitum: Quod ipsa synodus in Spriritu sancto congregata legitime, generale concilium faciens, ecclesiam catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem et exstirpationem dicti schismatis et reformationem generalem ecclesiae Dei in capite et in membris. His similia sessione quoque quintà habentur. Eadem decreta a concilio Basi-

5. Ex decretis conciliorum Constantiensis, et Basilieensis.

leae ann. 1413. celebrato, ſeſſ. 2. 3. 12. et 18. ſunt redintegrata. Utrumque vero concilium, et Baſileenſe quidem usque ad ſeſſionem vigeſimam quintam, ab ipſis quoque Pontificibus Martino V., Eugenio IV. et Pio II. pro oecumenico habitumeſſe conſtat. *)

*) Decreta haec Univerſitas etiam Viennenſis recepit, quae anno 1440. in reſponſorio ad conſultationem Electorum Imperii ait; *Quod Spiritus ſanctus per organum ſacri concilii Conſtantienſis declaravit, aperte; talem poteſtatem habere eccleſiam et concilium eam repraeſentans ſuper omnem, etiamſi dapalis exiſtat dignitatis.*

§. 94.

Quibus decreta conciliorum Florentini et Lateranenſis non obſtant.

Definitionibus conciliorum Conſtantienſis et Baſileenſis decreta concilii Florentini anno 1439. et Lateranenſis V. ſub Leone X. anno Chriſti 1512. celebrati fruſtra opponuntur. Decernit quidem concilium Florentinum: Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, et verum Chriſti vicarium, totiusque eccleſiae caput, et omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere, et ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. — Verum non eſt praetermittendum, quod ſequitur: Quemadmodum, id eſt, uti textus originarius graecus habet, juxta eum modum, qui et in geſtis oecumenicorum con-

ciliorum, et in ſacris canonibus continetur, quam clauſulam addendam eſſe expreſſe Graeci petierunt. Ad concilium vero Lateranenſe quod attinet, probe eſt animadvertendum, propoſitionem illam de auctoritate pontificiâ, quae ſit ſupra concilium, in decreto ſolum Leonis X., quo ſanctio pragmatica fuit abrogata, ſeſſione undecimâ promulgato, incidenter commemorari, nullâque ratione pro definitione concilii eſſe habendam, de quo inſuper, an reverà oecumenicum ſit, adhuc ſub judice lis verſatur.

§. 95.

Inerrantia ergo eccleſiae in rebus fidei ad decreta ſolum totius collegii epiſcopalis pertinet.

Cum ſuprema in eccleſiâ poteſtas toti epiſcoporum collegio, non ſoli primati, ſit propria, ſequitur, inerrantiam quoque eccleſiae in rebus religionis ſubſtantialibus (§. 15.) univerſo duntaxat epiſcoporum collegio, ſive illud in concilio ſit congregatum, ſive extra concilium in dogma aliquod unanimiter conſentiat, convenire, propterea quod ejus definitione, ſi rectae fidei adverſa eſſet, omnis eccleſia in errorem induceretur; ſummo vero pontifici, quamvis ille, ut ajunt, ex cathedrà loquatur, attribui non poſſe, niſi id quod ab eodem decretum eſt, conſenſu totius collegii firmetur. Quotiescunque enim decreta in rebus fidei aut morum, quae proviſoria dicimus, eduntur a ſummo pontifice, reliquorum epiſcoporum eſt, pro eâ, quâ in dijudicandis eccleſiae univerſalis cauſſis, et in conteſtandâ traditione pollent auctoritate, ſuum quoque ſuffragium ferre; quamquam

iidem, ſinguli, decreto iſtiusmodi pontificio, donec univerſalis eccleſiae definitio ſequatur, adquieſcere tenentur, niſi traditioni eccleſiae illud adverſari liqueat; in quo caſu errore fortiter rejecto traditionem tueri non ſolum licet, ſed plane praeceptum eſt.

§. 96.

Non ad decreta pontificia, donec illa ſint univerſae eccleſiae conſenſu confirmata.

Sententia, quae Romani pontificis adſtruit infallibilitatem; graviſſima adverſus ſe argumenta habet. 1) Definitiones fidei univerſali traditione nitantur oportet, cujus non a ſolo Romano pontifice, ſed a cunctis duntaxat epiſcopis, eccleſiisque particularibus certum firmumque teſtimonium reddi poteſt. 2) Juxta perpetuam eccleſiae praxim id, quod a Romanis pontificibus deciſum eſt, nunquam pro ſententia peremptoria, ſeu a ſupremo judice latâ, quae neque errori neque mutationi eſſet obnoxia, fuit habitum, ſed ut ſupra commemoravimus (§. 90. 91.), a conciliis generalibus denuo in examen vocatum, ab iisque, tanquam a ſummo eccleſiae tribunali, definitum invenitur. 3) Plures quoque pontifices in decretis ſuis ad fidem pertinentibus erraſſe hiſtoria teſtatur, quos inter nec Liberius ab Arianâ haereſi, nec Honorius ab errore Monothelitarum abſolvi, excuſarique poteſt.

Caput tertium.

De ſubjecto poteſtatis eccleſiaſticae ratione ſingularum, quibus conſtat, partium, ſeu de diverſis hierarchiae gradibus.

§. 97.

Superiori capite ſubjectum poteſtatis eccleſiaſticae discuſſimus, quatenus de univerſa, ſupremâque poteſtate, quae ſingulas, quibus conſtat, partes, ſingulosque gradus in ſe complectitur, ſermo eſt. Hoc vero capite poteſtas illa quoad ſingulos diverſosque officiorum ac munerum, quibus eccleſiae rectores et miniſtri funguntur, gradus conſideranda venit, ſecundum quos hierarchia dicitur. Haec vero in hierarchiam ordinis et hierarchiam jurisdictionis, quo nomine vel jurisdictio interna externaque ſimul, vel externa duntaxat innui ſolet, (§. 70. 71.) dein ſub utroque reſpectu in illam, quae eſt divini, et quae humani juris, dividitur. Notio hierarchiae.

§. 98.

Hierarchia ordinis, quae eſt divini juris, ex definitione concilii Tridentini ſeſſ. 23. can. 6. episcopis, presbyteris, et diaconis conſtat. Et quamvis ſacer textus nomine epiſcopi et presbyteri promiscue utatur, uti Act. XX. 17. 28. Tit. I. 5. 7., diſcrimen tamen reipſâ inter epiſcopos ac pres- Hierarchia ordinis, quae eſt divini juris. Epiſcopi presbyteris ſuperiores.

byteros intercedere manifeste significat. *) Presbyteri quippe episcopum, ceu primum ecclesiae antistitem, tum in praedicando verbo divino, tum in curandis aliis ecclesiae negotiis juvabant. Itaque Paulus in epist. I. ad Tim. V. monet Timotheum episcopum Ephesinum, ut qui bene praesunt presbyteri, eos duplicis honore dignos habeat, maxime qui laborant in verbo et doctrinâ, (v. 17. 18.) neve adversus presbyterum accusationem recipiat nisi sub duobus aut tribus testibus. (v. 19.) Sanctus quoque Joannes in Apocal. II. III., nomine angelorum septem ecclesiarum, quae I. 20. septem candelabra dicuntur, procul dubio primos earumdem antistites sive episcopos intellexit. Porro ecclesia quaelibet nonnisi unum habebat episcopum, presbyteros vero numero plures, scriptoresque ecclesiastici antiquissimi uti Tertullianus, Irenaeus, Optatus, Eusebius seriem ab apostolicis temporibus non interruptam episcoporum, qui primarias sedes tenuere, non item presbyterorum, litteris consignarunt. In epistolis etiam Clementis Romani et Ignatii, quorum uterque Apostolorum tempora proxime attingit, discrimen hoc inter episcopos et presbyteros non obscure significatur, Quae cum ita sint, concilium Tridentinum sess. 33. can. 7. jure sane optimo definivit, episcopos esse presbyteris superiores. **)

*) Secuta est hâc in re ecclesia Christiana exemplum Judaicae, cujus *pontifex*, *sacerdotes*, et

levitae templo inserviebant, synagoga vero *archisynagogo*, *senioribus*, et *ministris* constabat. Quâpropter ait S. Hieronymus, idem, quem adversarii, discrimen illud negantes, sententiae suae potissimum fautorem laudant: *Et ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron et filii ejus, et Levitae in templo fuerunt, hoc sibi episcopi, presbyteri, et diaconi vindicent in ecclesia.* Epist. 85. ad Evagr.

**) Vid. Dionys. Petav. de eccles. hierarch. Natal. Alexandr. Diss. 44. in sec. quart. Bingham Orig. eccles. lib. 2. cap. 1.

§. 99.

Superior episcoporum locus, dignitasque prae reliquis presbyteris in eo collocatur 1) quod duplicem potestatem sibi propriam habeant, tum sacros ordines conferendi, tum sacramentum confirmationis jure ordinario administrandi, quarum prior a presbyteris secundi ordinis nullà prorsus ratione, posterior autem nonnisi extra ordinem ex speciali delegatione episcopi exerceri potest. 2) Quod presbyteri in exercitio illarum quoque functionum, quae ipsis cum episcopis sunt communes, episcoporum imperio subsint, eorumque duntaxat adjutores esse censeantur; unde et in antiquâ ecclesia functiones hujusmodi ex ordine ab episcopo solo, a reliquis vero presbyteris nonnisi ejusdem permissu in subsidium exercebantur. *) Quamobrem episcopatus plenitudo seu complementum sacerdotii, et episcopi sacerdotes primi ordinis vocari solent. Episcopi.

*) Bingham Orig. eccl. vol. 1. lib. 2. c. 3. §. 2 — 4.

§. 100.

Presbyteri. Quemadmodum episcopi successores sunt Apostolorum, ita presbyteri quoque, pro successoribus 72. discipulorum, quos Christus praeter Apostolos ad praedicandum evangelium misit, habentur. Horum officium in eo situm est, ut episcopos opere consilioque adjuvent: qui certe aucto fidelium numero curandis suis in dioecesibus negotiis ecclesiasticis soli non suffecerunt, nec quidquam: quod gravioris esset momenti, primis saltem ecclesiae temporibus inconsulto presbyterio agere soliti sunt. Ceterum ordo presbyteratus duplicem impertitur potestatem, in corpus Christi verum et mysticum, ut ajunt, seu potestatem Missae sacrificium celebrandi, peccataque remittendi, vel retinendi. *)

*) In ordinatione presbyterorum, prout in pontificali Romano habetur, episcopus, dum neoordinandos alloquitur, ait: *Sacerdotem oportet offerre. benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare.* Dein: *Filii dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit etc.*

§. 101.

Diaconi. Institutio Diaconorum, qui strictiori sensu ministri sunt ecclesiae, in Act. Apost. VI. 1 — 6. commemoratur. Apostoli nimirum convocatam discipulorum multitudinem, septem viros Spiritu sancto plenos eligere jusserunt, quos mensis curandis praeficerent, huicque ministerio oratione manuumque impositione addicerent. Erat autem ipsorum, non

ſolum pauperum curam gerere, ſed menſae quoque Domini, ſeu celebrandis ſacris miniſtrare, quae in antiquà eccleſià cum agapis, pauperumque curâ conjungebantur. Unde et Ignatius in epiſt. ad Trallian, diaconos myſteriorum Chriſti et eccleſiae Dei miniſtros vocat, et Juſtinus in Apologià teſtatur, celebrato Miſſae ſacrificio ſacram hoſtiam per diaconos ad abſentes fuiſſe delatam. In Actibus quoque Apoſtolorum VII. et VIII. legimus, Diaconos Stephanum et Philippum evangelium praedicâſſe et Philippum etiam baptizaſſe.

*) In pontificali Romano dicitur: *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, et praedicare.*

§. 102.

De aliis officiis, quorum ſacra ſcriptura meminit.

Praeter epiſcopatum, presbyteratum, ac diaconatum in ſacris litteris ad Roman. XII. 6 — 8. I. ad Cor. XII. 23 — 30. ad Epheſ. IV. 11. 12. alia quoque diverſi nominis officia eccleſiaſtica occurrunt, quibus tamen ſtatus ordoque peculiaris neutiquam ſignificatur. Ita Prophetae dicuntur illi, qui dono vaticinandi inſtructi ſermones divinitus inſpiratos habere ſolebant. I. ad Cor. XIV. Evangeliſtae comites erant, ſociique Apoſtolorum in praedicando evangelio, qui propriis ſedibus deſtituti hinc inde pro re nata ab Apoſtolis mittebantur, qualis Diaconus Philippus fuiſſe traditur. Act. XXI. 8. Paſtores et doctores presbyteri erant, ſed tales, qui docendi munere fungebantur; ne-

que enim illud omnibus presbyteris commune erat, quod ex epist. I. ad Tim. V. 15. apparet.

§. 103.

Hierarchia ordinis, quae est humani juris. Subdiaconi.

Ad hierarchiam ordinis, quae est humani juris, subdiaconatus minoresque ordines pertinent, proprie in subsidium diaconorum ab ecclesiâ instituti. Et subdiaconorum quidem. quorum officium itidem in ministerio altaris versatur, *) jam in litteris S. Cypriani, et Cornelii Papae, dein apud S. Athanasium, et in actis concilii Laodiceni fit mentio. Hodiernis temporibus subdiaconatus in ecclesiâ Latinâ inter sacros ordines numeratur, eique obligatio in statu ecclesiastico perpetuo persistendi, vitam coelebem agendi, et horas canonicas recitandi injungitur.

*) *Subdiaconum oportet, aquam ad ministerium altaris praeparare, diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre.* Pontific. Roman. in ordin. subdiac.

§. 104.

Minores ordines.

Minores ordines ecclesia Latina quatuor numerat, quorum jam scriptores tertii seculi meminerunt.*) Dicuntur vero clerici horum ordinum: 1) Acolythi, qui ferunt luminaria, dum sacra celebrantur, vinumque in usum sacrificii. 2) Exorcistae, quorum erat olim, ex mandato episcopi exorcismos super energumenos pronunciare. 3) Lectores, qui sacros libros servare, eosque Chri-

ſtiano populo in eccleſiâ praelegere ſolebant. 4) Oſtiarii, qui claves eccleſiae oſtiumque cuſtodiebant. Antecedit autem hos ordines tonſura, quâ quis ad ſtatum clericalem recipitur, ad ſuſcipiendos ordines praeparatur, ac privilegiorum, quae clericis competunt, fit particeps.

*) Cornel. P. epiſt. ad Fabium Antioch. ap. Euſeb. hiſt. eccl. lib. 2. cap. 43. conc. Carthag. IV. can. 6 — 9.

§. 105.

Hierarchia jurisdictionis, quae juris divini eſt.

Ad hierarchiam jurisdictionis, quae eſt juris divini, pertinent, epiſcopi, qui ceu Apoſtolorum ſucceſſores poteſtatem clavium, ligandique et ſolvendi a Chriſto obtinuerunt (§. 83. 84.), dein pontifex Romanus ratione primatus jurisdictionis in eccleſiâ eidem competentis. (§. 86.) Quin et presbyteros ad illam referri debere judicamus, tum quâtenus de internâ jurisdictione in adminiſtrando poenitentiae ſacramento ſermo eſt (§. 71.), tum quâtenus adjutores epiſcopi, eique a conſiliis ſunt, (§. 100.) hâcque ratione ad adminiſtrandam externam quoque jurisdictionem epiſcopalem cooperantur.*) Certe conventui illi Hieroſolymitano Act. XV. ſeniores quoque unâ cum Apoſtolis interfuerunt.

*) S. Ignatius in epiſt. ad Magneſ. presbyteros *ſenatum apoſtolicum* vocat. In concilio vero Carthaginenſi de anno 398. ſtatuitur, ne epiſcopi ſine conſilio presbyterorum aut clericos ordinent, aut in cauſſis controverſis jus dicant, aut res eccle-

ſiaſticas, alienent, neve eos miniſtrorum ſed fratrum loco habeant, utque epiſcopo quidem ſublimior ſit ſedes in eccleſiâ, presbyteros autem ille coram ſe ſtare nullo modo patiatur. Can. 22. 23. 32. 34. 35. Bingham Orig. eccl. lib. 2. cap. 19. §. 5 — 11.

§. 106.

Hierarchia juris-dictionis, quae juris eſt humani.

Hierarchia jurisdictionis, quae juris eſt humani, partim ejus generis epiſcopis, qui ſublimiorem prae reliquis dignitatem juraque ſingularia ex canonum diſpoſitione aut conſuetudine ſunt adepti, partim vicariis et adjutoribus episcoporum, qui ſub episcopi curâ praecipua in reliquum clerum pollent auctoritate, conſtat. Ad illos pertinent patriarchae, exarchi, primates et metropolitae, in horum autem numero ſunt vicarii episcoporum, capitula eccleſiarum cathedralium, praelati non epiſcopi, et parochi. Sed de his ſectione tertiâ agemus.

Sectio ſecunda.

De poteſtate eccleſiaſticâ relate ad univerſam eccleſiam.

Caput primum.

De Conciliis, et conſenſu eccleſiae diſperſae.

§. 107.

Subjectum ſupremae poteſtatis eccleſiaſticae relate ad univerſam eccleſiam eſt collegium epiſcoporum primati coadunatum (§. 87.) Illud vero vel in unum collectum eſt, vel diſperſum, poteſtatemque eccleſiaſticam priori caſu per ſuffragia ſingulorum epiſcoporum, et quae ex iis conficiuntur, concluſa, poſteriori per conſenſionem expreſſam vel tacitam exercet. Coetus porro antiſtitum eccleſiae, eum in finem celebratus, ut negotia eccleſiaſtica communibus ſuffragiis definiantur, concilium, ſive graeco nomine ſynodus vocatur. Concilia vel generalia ſunt, ſeu oecumenica, vel particularia; haec poſteriora iterum vel nationalia, vel pro- Concilia.

vincialia, vel dioecefana. Concilium vero contra jus ordinemque legitimum habitum, ac propterea vi deftitutum, conciliabuli nomine venit.

§. 108.

Characteres concilii generalis.

Concilium generale feu oecumenicum coetus eft totius collegii episcoporum aut eorum, qui eosdem repraefentant, ad definienda univerfalis ecclefiae negotia congregatus. Cujus characteres funt: 1) Finis argumentumque concilii ad bonum univerfalis ecclefiae fpectans, 2) Convocatio legitima eorum, quibus jus eft comparendi, fuffragiumque ferendi, 3) praefentia tot epifcoporum, quot repraefentando univerfo collegio poffint fufficere, 4) libertas fuffragiorum, et ordo legitimus in pertractandis negotiis fervandus. *)

*) De hoc argumento praeter alios theologos legi poteft Obftraet de loc. theol. Diff. 4.

§. 109.

Finis ejusdem, et argumentum.

Finis conciliorum generalium in falute totius ecclefiae pofitus eft; argumenta deliberationis funt negotia ad univerfalem ecclefiam pertinentia. Haec vero vel res fidei concernunt, quae exortis dubiis aut doctrinis erroneis ex univerfali traditione, cujus teftes funt epifcopi ex univerfo orbe Chriftiano collecti, funt definiendae, vel ad difciplinam ecclefiae generalem fpectant, five illa renovatione duntaxat, aut explicatione canonum an-

tiquorum, ſive novis determinationibus indigeat. *) Utilitas autem conciliorum ex ipſà jam conſtitutionis, quae eſt eccleſiae propria, notione facile intelligitur, exemplisque Apoſtolorum ac veteris eccleſiae quam maxime confirmatur.

*) Definitiones fidei in conciliis editae alias *dogmata*, leges vero diſciplinares *canones* vocantur. Aſt concilium Tridentinum illas *canones*, has vero *decreta* dicere maluit, quamquam non omnes certo canones ejusdem concilii in numerum definitionum fidei referri poſſint.

§. 110.

Quinam ad illud ſint vocandi.

Cum concilia generalia univerſum episcoporum collegium repraeſentent, ſequitur, omnes omnino episcopos jure ſuffragii in iisdem ferendi, quod vocant, deciſivi gaudere, proindeque neceſſario ad illa vocandos eſſe. Presbyteri vero, cum ex primaevâ ſuâ inſtitutione adjutores ſint, ac conſiliarii episcoporum, (§. 100. 105.) idonei quidem ſunt qui conciliis generalibus, ſi ab episcoporum collegio in conſilium adhibeantur, interſint, uti in conventu Apoſtolorum Act. XV. aliisque in conciliis contigit; attamen proprio jure id ſibi non vindicant, neque ſi adſunt, voto deciſivo, ſed, ut ajunt, conſultativo duntaxat potiuntur. *) Recentioribus tamen temporibus cardinales non episcopi, praelati, abbates, et generales ordinum, utpote qui jurisdictione quaſi episcopali fruuntur, ſpeciale privilegium ferendi in conciliis generalibus ſuffragii deciſivi ſunt adepti.

*) Videatur de hâc re Bingham Orig. eccleſ. lib. 2. cap. 19. §. 8. 11. 12. 13. Teſte Euſebio hiſt. eccl. lib. 5. cap. 22. conciliis ob celebrationem paſchatis congregatis ſoli intererant epiſcopi, *concilia*, inquit, *et conventus epiſcoporum in unum cogebantur*. De concilio autem contra Novatum Romae celebrato ait, ſexaginta epiſcopos, totidemque aut plures adhuc presbyteros cum diaconis conveniſſe. lib. 6. cap. 35. Idem lib. 7. cap. 22. et 24. concilio contra Paulum Samoſatenum Antiochiae habito presbyteros quoque ac diaconos interfuiſſe narrat. In actis vero concilii Nicaeni, et ſequentium conciliorum generalium ejus duntaxat generis presbyteri occurrunt, qui vel legati erant epiſcoporum, vel ob ſingularem virtutis ac doctrinae gloriam, auctoritatemque advocabantur, ſuis tamen in ſubſcriptionibus formulâ illâ epiſcopis usitatâ, *definiens ſubſcripſi*, non utebantur. Vid. Juenin Inſtit. theol. Diſſ. 4. qu. 3. cap. 1. art. 2. concl. 2.

§. 111.

Cujus ſit, concilia generalia convocare.

Cum primatus eccleſiae ad conſervandam unitatem ſit inſtitutus, (§. 86.) concilia vero inde ab omni tempore pro medio conſervandae unitatis aptiſſimo ab eccleſiâ ſint habita, perſpicuum eſt, jus convocandi concilium generale ad primatem eccleſiae pertinere. Quod tamen non ſtricte adeo accipiendum eſt, quin et epiſcoporum collegio, tanquam ſupremo eccleſiae capiti, cui ipſe quoque primas ſubeſt (§. 87.) ſponte ſuâ in concilium ſeſe congregare liceat, quando id bonum eccleſiae exigit, primate quamcunque ob cauſſam illud convocare detrectante. Conſtat porro, priora octo concilia generalia ab Imperatoribus, qui tunc temporis maximam orbis Chriſtiani partem gubernabant, tanquam

ecclesiae advocatis, fuisse congregata. Et consensus quidem imperantium civilium ea certe ratione ad congregandum concilium est necessarius, quod singulis episcopis, repugnante, cui subsunt, terrae principe, ad illud accedere neutiquam liceret.

§. 112.

Quot episcopi adesse debeant.

Episcoporum, qui concilio intersint, ut illud pro oecumenico haberi possit, certus numerus determinari nequit. Tot ac tales nimirum adsint episcopi, oportet, ut totum episcoporum collegium vere repraesentare censeantur. Itaque et numerus relative exiguus potest sufficere, quandoquidem vel praesentes de mente sensuque absentium, coepiscoporum nimirum ejusdem provinciae vel nationis, quibuscum res jam antehac in concilio particulari fuerat examinata, plenam fidem faciunt, vel subsequente absentium consensu decreta concilii rata habentur. Unde etiam consequitur, rationem illam, dandi suffragia secundum nationes, alteri methodo, quà illa viritim numerantur, omnino esse anteponendam propterea, quod dicto principio repraesentationis magis conveniat, quodque cum posterior servatur modus, facile possit contingere, ut praesentes episcopi unius alteriusve provinciae numero plures, reliquos, qui ex pluribus majoribusque provinciis pauciores adsunt, episcopos suffragiis vincant.

§. 113.

Ordo in conciliis generalibus servandus.

Ordinem rerum gerendarum in conciliis generalibus quod attinet, primati quidem, ex ratione primatus et teste conciliorum generalium historiâ, jus iisdem praesidendi competit; idque non modo in primâ sede honoris caussa occupandâ, sed in proponendis quoque regendisque deliberationibus ad tenendam in concilio unitatem versatur. *) Episcopis tamen praesentibus, qui pari prorsus jure suffragii potiuntur, plena mentem suam declarandi libertas relinquatur oportet, quae si violetur, decretis conciliaribus ea vis non inerit, ut veram collegii episcoporum sententiam exhibeant.

*) Quodsi quandoque Imperatores Christianos per se aut oratores suos conciliis praefuisse legimus, id nonnisi ad tuendum moderandumque exteriorem ordinem, non ad ipsum caussarum ecclesiasticarum examen, definitionemque pertinuisse palam est.

§. 114.

Unde concilium esse oecumenicum dignosci possit.

Siquidem tam multa sunt, quae ex dictis requiruntur, ut concilia vere pro oecumenicis haberi possint, quaeque huic an illi concilio conveniant, non semper ita constat, ut nullus dubio relinquatur locus, alia sane ineunda est ratio, ut quae sint concilia oecumenica, certe cognoscatur. Est autem principium certum id cognoscendi acceptatio seu consensio totius ecclesiae, quâ, siquid etiam ex illis requisitis deesset, id omni jure

ſuppleretur. Itaque concilium quoque originetenus nonniſi particulare per acceptationem fieri poteſt generale, cujus rei exemplum concilium Conſtantinopolitanum I. ſuppeditat, quod epiſcopis tantum orientalibus conſtabat, cujus autem decretis Damaſus et occidentales epiſcopi in concilio Romano congregati aſſentiebant. *)

*) Concilium aliquod ab eccleſiâ pro oecumenico receptum eſſe, quae res facti eſt, iisdem argumentis probandum eſt, quibus conſenſus eccleſiae diſperſae probari ſolet, vid. ſeq. §. 121. not. 2.

§. 115.

Effectus decretorum conciliarium in rebus fidei.

Decreta conciliorum generalium vel ad definitiones fidei, vel ad canones disciplinares pertinent. Illas quod attinet, cum concilia generalia univerſum epiſcoporum collegium repraeſentent, patet, iisdem in definiendis fidei dogmatibus inerrantiae privilegium convenire. (§. 95.) Id vero ut locum habeat, eas veras eſſe concilii definitiones neceſſe eſt, eorumque argumentum reipſà dogmaticum. Illud autem ſolum pro definitione concilii babendum eſt, quod ex propoſito ac immediate ceu objectum principale deliberationis definitur, non id etiam, quod incidenter ſolum et quaſi tranſeundo aſſeritur, aut quod tanquam fundamentum definitionis duntaxat ſecundarium et ſubſidiarium in medium profertur. Illae porro definitiones argumenti ſunt vere dogmatici, quas concilium ſive verbis expreſſis, ſive certe ſecundum ſen-

ſum verborum manifeſtum ex contextu perſpicue apparentem pro doctrinis a Jeſu Chriſto revelatis, aut praeceptis ab eodem traditis declarat. Neque quaeſtiones igitur mere philoſophicae aut ſcholaſticae, neque res, quae humani ſolum, non divini juris ſunt et originis, neque facta non revelata, uti eſt quaeſtio, quis ſit ſenſus libri cujuspiam non canonici, verbo, nihil prorſus, quod argumentum revelationis divinae non eſt, ad definitiones dogmaticas referri poteſt. *)

*) Non ergo ex ſolo anathemate, decreto cuidam conciliari adjecto, intelligi poteſt, illud vere eſſe dogmaticum. Inter canones ſane Tridentini concilii reperiuntur plures hâc clauſulâ muniti, quorum argumentum non eſt dogmaticum, exempli gratia ſeſſ. 24. de ſacr. matr. can. 6.

§. 116.

In rebus diſciplinae.

Canones disciplinares conciliorum generalium regulariter omnes fideles obligant. Privilegio tamen inerrantiae, quod conciliis in rebus fidei convenire diximus, neutiquam comprehenduntur, propterea quod promiſſio de ſpeciali Spiritus ſancti auxilio ad ea ſolum, quae ut eccleſia ſalva ac integra ſervetur, ſunt neceſſaria, adeoque ad ſubſtantialia duntaxat, non ad accidentalia ſpectet. Immo vero ex naturâ ſuâ mutationi ſunt obnoxia. ad varias temporum locorumque rationes ac neceſſitates accomodandi. Quamobrem obligatio horum canonum diſciplinarium pro eccleſiis particularibus inde pendet, ut a ſingulis epiſcopis recipiantur, quorum eſt, illos, utrum condi-

tioni, ingenio, indoli, juribus, ac conſuetudinibus gentis ſuae conveniant, examinare, ſique adverſentur, ab eorundem promulgatione ac executione abſtinere. (§. 74.) Neque enim ipſi concilio pro eâ, quae eſt eccleſiaſticae poteſtatis natura, et indoles, (§. 69.) is animus eſſe potuit, ut tali caſu eccleſias particulares iſtiusmodi canonibus diſciplinaribus obligaret. *)

*) Inde decreta concilii Tridentini in eccleſiâ Graecâ multa in uſu non ſunt. In eccleſiâ quoque Gallicanâ canones ejusdem concilii diſciplinares nunquam omni ex parte receptos et promulgatos eſſe conſtat.

§. 117.

Nihil intereſt quoad efficaciam decretorum eccleſiaſticorum ſive collegium epiſcoporum in concilio ſit congregatum, ſive extra concilium in definitionem dogmaticam, aut canonem diſciplinarem conſentiat. Conſenſus hic collegii epiſcoporum extra concilium **conſenſus eccleſiae diſperſae** vocatur. Eccleſiae vero diſperſae in definiendis fidei dogmatibus conſentienti privilegium inerrantiae eodem jure, quo illud conciliis generalibus convenit, eſt aſſerendum. Canones quoque diſciplinares conſenſu eccleſiae diſperſae confirmati; aeque omnes fideles obligant, ac ſi in concilio generali conditi fuiſſent. — Conſenſus eccleſiae diſperſae.

§. 118.

Ut autem conſenſus eccleſiae diſperſae eum, quem diximus, effectum ſortiatur, ſe- — Requiſita ejusdem.

quentia adſint requiſita, oportet: 1) Ut collegio epiſcoporum vere is ſit animus, id conſilium, doctrinam, de quâ agitur, definiendi, aut canoni cuipiam diſciplinari legis vim tribuendi. Neque enim ſufficit, quod epiſcopi ſolum non expreſſe contradicant, aut quod illam doctrinam, illumve canonem obiter ſolum ac incidenter, non ex propoſito et modo deciſivo, approbare videantur. *) 2) Ut in definitionibus dogmaticis vere de objecto divinae revelationis agatur, (§. 115.) utque doctrina omnino pro dogmate divinitus revelato habeatur, non vero ad opiniones duntaxat theologicas pertineat. 3) Ut conſenſus ille tam late pateat, ut is communem collegii epiſcoporum ſententiam voluntatemque certo exhibeat. 4) Denique, ut is, tanquam res facti, ſufficienter innoteſcat, aptisque argumentis demonſtretur. **)

*) Falſo igitur ex ſolo ſilentio epiſcoporum reſpectu ſententiae cujusdam doctoribus quam maxime acceptae, quam *communem doctorum* vocare ſolent, aut etiam reſpectu bullae pontificiae, aut conſuetudinis colligitur conſenſum eccleſiae diſperſae adeſſe. Illud etenim ſilentium non ſemper certum liberae conſenſionis, veraeque approbationis judicium eſt, ſed aliis variisque ſaepe numero cauſſis tribuendum. Vid. Obſtraet. de loc. theol. Diſſ. 3. §. 3. num. 3. et 4. Item Theol. Monathſchrift von Linz 4. Jahrgang, 1. Band, S. 134.

**) Argumenta hujusmodi ſunt litterae formatae quibus in antiquâ eccleſiâ epiſcopi fidei ſuae profeſſionem ſecum invicem communicabant, conſenſus conciliorum particularium in eandem ſententiam, libri ſymbolici, uti ſunt ca-

techismi, formulae profeſſionis fidei ubique locorum conformi uſu receptae, et quae ſunt ſimilia.

Caput ſecundum.

De Primatu eccleſiae.

Articulus primus.

De juribus primatus eſſentialibus.

§. 119.

Omnis, quae de primatu eccleſiae eſt, disputatio ad quatuor capita revocatur: 1) De juribus primatus eſſentialibus, 2) de juribus adventitiis quae ſunt aut paſſim recepta, aut controverſa, 3) de adjutoribus ac vicariis primatis, id eſt, Romanae eccleſiae cardinalibus, Romanâ curiâ, et legatis vicariisque pontificiis. Jura vero primatus illa dicuntur eſſentialia, quae notione ipſâ ac fine primatus, divinâque ejusdem inſtitutione nituntur, et proinde ab illo avelli nequeunt. Adventitia ſunt, quae humanae ſolum ſunt originis, Romanoque pontifici recentioribus eccleſiae temporibus adtributa, attamen ex hodiernâ eccleſiae diſciplinâ ubique recepta, et extra controverſiam poſita. Controverſa denique illa intelligimus, quae Romano pontifici falſo tribuuntur, aut noſtris ſaltem temporibus a doctoribus catholicis bene multis in dubium vocantur.

Materia et diviſio hujus capitis.

§. 120.

Divifio jurium primatus effentialium.

Jura primatus effentialia ex fine ejusdem, qui in confervandà ecclefiae unitate fitus eft, fimulque ex antiquiffimà ecclefiae praxi priorumque faeculorum ufu funt derivanda. Primas ecclefiae nimirum, feu primus in collegio epifcoporum pro centro unitatis inter eosdem fervandae habendus eft. (§. 86.) Quae cum unitate pacis feu communionis, et unitate fidei conftet, (§. 13.) collegium vero epifcoporum confiderari poffit, vel prout eft in concilio collectum, vel difperfum, (§. 107. 117.) confequens eft, jura primatus effentialia 1mo in illa, quae ad unitatem pacis et communionis fervandam pertinent, 2do quae primati relate ad concilia generalia, et 3tio quae eidem relate ad ecclefiam difperfam ad confervandam fidei unitatem *) competunt, commode dividi poffe.

*) Ad unitatem fidei uniformitas quoque difciplinae ecclefiafticae, quâtenus pro diverfâ locorum conditione locum habere poteft, ecclefiaeque adfert utilitatem, aliquo fenfu referenda eft.

§. 121.

Relate ad exteriorem communionem ecclefiafticam.

Itaque ad jura primatus effentialia primum pertinet exterior illa communio in fignis externis commercii ac conjunctionis focialis ufu introductis pofita, (§. 13.) a fingulis ecclefiis particularibus cum primate ecclefiae, tanquam centro unitatis, perque illum inter fefe invicem perpetuo confervanda. Quo fit, ut, qui cum primate ecclefiae communicat, is eam ip-

ſam ob cauſſam reliquorum quoque eccleſiae catholicae epiſcoporum communione fruatur, cui vero ab eodem juſtà ratione communio denegata eſt, is illorum quoque communione privatus ſit cenſeudus, *) Quae tamen regula exceptionem interdum habet; neque enim deſunt exempla, a Romani pontificis communione excluſos, ubi excluſionis cauſſa ab aliis epiſcopis non pro juſtà habebatur, in illorum communione continuo permanſiſſe. **)

*) Ita Euſebius hiſt. eccl. lib. 5. cap. 24. de Victore Pontifice, cum de controverſiâ ejusdem cum epiſcopis Aſiaticis quoad celebrationem paſchatis ſermo eſt: *Totius Aſiae*, inquit, *eccleſias a communi unitate eccleſiae amputare conatur.* Ab Irenaeo vero dicit Victorem eſſe monitum, *ne tam multas eccleſias omnino propter traditionis ex antiquâ conſuetudine inter illas uſurpatae conſervationem a corpore univerſae Chriſti eccleſiae penitus amputet.* Optatus quoque Milevitanus lib. 2. contr. Parmenian. de Romano pontifice ait: *Cum quo nobis totus orbis commericio formatarum in unâ communionis ſocietate concordat.* Item Hieronymus epiſt. 16. ad Damaſ. *Hic in tres partes ſciſſa eccleſia me ad ſe rapere feſtinat; ego autem clamito, ſiquis cathedrae Petri jungitur, meus eſt.* Et Patres concilii Aquilejenſis de anno 381. in epiſtolâ ad Imperatorem inquiunt: *Totius orbis Romani caput Romanam eccleſiam atque illam ſacroſanctam fidem Apoſtolorum ne turbari fineret, obſecranda fuit clementia veſtra; inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant.* Harduin. Collect. Concil. tom. 1. col. 837. Denique Cyrillus Alexandrinus in cauſſa Neſtorii ad Coeleſtinum Pontificem ſcribit: *Digneris, quid hic ſentias, praeſcribere, quo liquido nobis conſtet, communicarene nos cum illo oporteat, an vero libere ei denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet.*

**) Etſi Stephanus Pontifex a S. Cypriani, et Damaſus a Meletii Antiocheni communione abſtineret, utrumque tamen cum ceteris eccleſiae catholicae epiſcopis continuo communicâſſe conſtat ex S. Auguſtino. qui in lib. 5. de baptiſm. cap. 22. de Cypriano, et ex S. Baſilio, qui idem epiſt. 525. ad Epiph. de Meletio teſtatur.

§. 122.

Relate ad concilia generalia.

Ad conſervandam per concilia generalia fidei unitatem primati jus eſt: 1) illa exigente bono eccleſiae convocandi (§. 111.) b) iisdem ſive per ſe, ſive per legatos praeſidendi (§. 113.) c) decretis conciliaribus, illo abſente conditis, accedendi, *) d) concilia rite fuiſſe celebrata, ac pro oecumenicis habenda, exorto dubio, declarandi, e) denique promulgandi decreta conciliaria, eorumque obſervationem urgendi. **) Atque in hoc jure accedendi decretis conciliaribus, declarandi concilium rite eſſe celebratum, promulgandi decreta, eorumque obſervationem urgendi jus, quod vocant, confirmandi concilia, collocatur. Neque enim illud eo ſenſu Romano pontifici tribui poteſt, quod concilium vere oecumenicum ac legitime celebratum a confirmatione demum papali robur viresque obtineat; ***) ſed ad id ſolum pertinere pontificiam confirmationem cenſendum eſt, ut fideles concilium rite eſſe celebratum et oecumenicum cognoſcant, de decretis ab eodem conditis certiores fiant, et ad illos diligenter obſervandos impellantur.

*) Legati Coeleſtini Pontificis, cum ad ſecundam ſeſſionem concilii generalis Epheſini adveniſſent decretis ſeſſionis primae acceſſerunt. Primum

quoque concilium Conſtantinopolitanum nonniſi per acceſſionem Damaſi cum occidentalibus epiſcopis evaſit oecumenicum.

**) *Confidimus*, ait Gelaſius epiſt. 13. ad Dardan. Epiſc., *quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, unius cujusque ſynodi conſtitutum, quod univerſalis eccleſiae firmarit aſſenſus non aliquam magis exequi ſedem prae ceteris oportere, quam primam; quae et unamquamque ſynodum ſuâ auctoritate confirmat, et continuatâ moderatione cuſtodit pro ſuo ſcilicet principatu, quem B. Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum eccleſiâ nihilominus ſubſequente, et tenuit ſemper, et retinet.*

***) Concilia generalia nequaquam robur ſuum, anthoritatemque per pontificiam demum confirmationem adipiſci, ex eo perſpicuum redditur, quod illis familiare ſit, prius omnino quam confirmatio pontificis accedat, abſolute ac modo definitivo edicere, hoc vel illud dogmatis loco eſſe tenendum, anathema eſſe, ſiquis contrarium docuerit, hunc illumve deponi, excommunicari, etc.

§. 123.

Ubi eccleſia extra concilium, ut vocant, diſperſa eſt, primas eccleſiae collegium epiſcoporum quodam modo repraeſentat, ejusque vices gerit, cujus proinde nomine interim ea decernit, quae ad tuendam eccleſiae unitatem ſunt neceſſaria, ita tamen, a) ut mentem ſententiamque collegii epiſcoporum, adeoque traditionem univerſalem et canones eccleſiaſticos ſequatur; b) ut quae ipſe decreverit, ab univerſo collegio poſſint reformari; c) ut proinde decreta nonniſi proviſoria ſint, eousque valitura, donec vel in concilio generali, vel extra illud

Relate ad eccleſiam diſperſam.

ab ecclesiâ universali aliud fuerit statutum, tumque demum fiant peremtoria, cum consensum totius collegii accessisse certo constiterit. Quae vero hoc respectu primatui insunt jura, ad sequentia capita possunt revocari: 1) primatis est, rerum omnium, quae ad statum ecclesiae universalis quoquo modo pertinent, notitiam sibi parare, earumque supremam gerere inspectionem; 2) urgere observationem canonum ecclesiasticorum; 3) supplere episcoporum negligentiam; 4) edere decreta provisoria, quae ad conservandam unitatem necessaria judicaverit, sive de rebus fidei, sive de judiciis ecclesiasticis, sive de disciplinâ universalis ecclesiae agatur.

§. 124.

Jus relationes ab episcopis exigendi.

Jus supremae inspectionis primati in ecclesiâ competens, exigendis âb episcopis relationibus, mittendisque legatis potissimum exercetur. Et caussas quidem ecclesiasticas gravioris momenti ab ecclesiis particularibus, praesertim majoribus, ad sedem apostolicam referri solitas esse, primitiva ecclesiae monumenta abunde testantur. *) In quo tamen negotia ad statum ecclesiae universalis pertinentia, quorum cognitio primati, ut is mediis aptis conservandae ecclesiae unitati consulat, est necessaria, a rebus adiaphoris, et a caussis partium probe sunt discernenda. Quae prioris sunt generis, necessario ad sedem apostolicam sunt referenda; quae vero posterioris, in iis relationes si fiant, nonnisi pro arbitratu et pro singulari in illam sedem fiduciâ facta esse censentur.

*) Hujusmodi relationum exempla illuſtriora ſunt; Corinthiorum primo jam ſeculo de exortis inter ipſos diſſenſionibus ad Clementem I. Cypriani in controverſiâ de reconciliandis lapſis ad Cornelium, Cyrilli Alexandrini in cauſſâ Neſtorii ad Coeleſtinum, eccleſiae Africanae in cauſſâ Pelagii et Coeleſtii ad Innocentium. *Vetus eccleſiarum conſuetudo ſuadet*, ait Cyrillus epiſt. ad Coeleſtin. *ut ejusmodi res ſanctitate tuae communicentur.* Et concilium Sardicenſe de anno 341. in epiſt. ad Julium Pontifi. *Hoc optimum et congruentiſſimum judicabitur, ſi ad caput, id eſt, ad Petri ſedem de ſingulis quibusque provinciis Domini referant ſacerdotes.*

§. 125.

Primati procul dubio competit jus, legatos vel mittendi, vel in provinciis conſtituendi, quoties iis opus fuerit, ſive ad rerum, ſtatum univerſalis eccleſiae concernentium, cognitionem ſibi comparandam, ſive ad exercenda per eosdem alia jura primatui cohaerentia. Equidem tribus prioribus eccleſiae ſeculis, antequam eccleſia libertate ſuâ potiretur, juris hujus vix uſus eſſe poterat. Quarto autem ſeculo complura jam occurrunt exempla legatorum pontificiorum, qui vel ut negotiorum quorumdam eccleſiaſticorum curam gererent, vel potiſſimum ut conciliis, uti in concilio Nicaeno, Sardicenſi, et Arelatenſi factum eſſe legimus, intereſſent ac praeſiderent, a pontificibus deputabantur. *) Jus mittendi legatos.

*) De legatis pontificiis articulo quarto hujus capitis plura dicendi locus erit.

§. 126.

Jus urgendi observationem canonum.

Ad praecipua jura ſive potius officia primatus pertinet jus urgendi canonum obſervationem; cui poteſtas quoque cohaeret, media coactionis, eccleſiae convenientia, adhibendi, ſiquidem illis ad tuendos canones opus fuerit. Sane priſcis temporibus ſummi pontifices defenſores ſe eſſe, non dominos canonum, ſaepiſſime diſſertis verbis profitebantur. *) Iidem munus ſuum adeuntes, eccleſiaſticos canones diligentiſſime obſervare et tueri ſe velle, ſolemni formulà vovere ſolebant. **)

*) Bonifacius I. epiſt. 3 ad Hilar. Arelat. ait. *Convenit, Papas paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes.* Leo M. epiſt. ad Patres concil. Chalced. *Poteritis ex ſcriptorum meorum lectione cognoſcere, me auxiliante Domino et catholicae fidei, et paternarum traditionum eſſe cuſtodem.* Martin. I. epiſt. ad Pantal. *Canones eccleſiaſticos ſolvere non poſſumus, non transgreſſores.* Siricius epiſt. 1. n. 19. *Quae ſolâ admonitionis auctoritate non corrigimus, neceſſe eſt, per ſeveritatem congruentem regulis vindicemus.*

**) Hujus profeſſionis formula ſequens ex Diurno Romanor. pontif. refertur. a Gratiano Diſt. 16. can. 8. *Sancta octo univerſalia concilia, usque ad unum apicem immutilata ſervare, et pari honore et veneratione digna habere, et quae praedicaverunt et ſtatuerunt, modis omnibus ſequi et praedicare, quaeque condemnaverunt, ore et corde condemnare profiteor.*

§. 127.

Jus devolutionis ſupremum.

Juris, urgendi canonum obſervationem, conſectarium eſt jus devolutionis ſupre-

mum, ſeu jus, epiſcopos negligentes ad officium revocandi; eorumque negligentiam vel defectus ſupplendi, ita tamen, ut jus devolutionis hierarchis intermediis, metropolitis nimirum, primatibus, et patriarchis ex ordine hierarchico proprium nullàtenus violetur. Cum enim ſingulorum etiam epiſcoporum ſit, ut ecclefiis a paſtoribus relictis aut neglectis exigente neceſſitate ſuccurrant, in promptu eſt, jus illud eo magis primo epiſcoporum tribuendum eſſe, quod ad illum ſollicitudo omnium eccleſiarum prae ceteris quam maxime pertineat.*)

*) Unde etiam conſequitur, ad primatem potiſſimum ſpectare, propagandae fidei Chriſtianae in regionibus infidelium, et conſtituendorum in provinciis neoconverſis epiſcoporum curam gerere.

§. 128.

Jus edendi decreta fidei proviſoria.

Si qua ullo in loco doctrina erronea, fideique eccleſiae communi adverſa exorta ſit, tamque late ſerpat, ut neque ab epiſcopis propriis, neque a conciliis provincialibus ſufficiens malo remedium adhiberi poſſit, primatis eſt, ſuccurrere, eumque in finem decreta fidei edere proviſoria,*) quibus fideles omnes ſaltem, ut contrarium non doceant, tamdiu morem gerere teneantur, donec definitio eccleſiae univerſalis ſequatur. Ille enim, cum ſit centrum unitatis eccleſiaſticae, traditionis certe univerſalis teſtis eſt fide digniſſimus. Quodſi tamen contingeret, ut decretum ejusmodi pontificium doctrinae communi eccleſiae adverſaretur, epiſcoporum pro eo, quo in definiendis fidei controverſiis gaudent, jure ſuffragii, officium foret,

decreto ejusmodi erroneo viribus omnibus repugnare (§. 158.)

*) Hoc jure Stephanus errori de rebaptizandis haereticis obſtitit; Innocentius et Zoſimus haereſim Pelagianam damnarunt, cum eâ in re judicio conciliorum Africae accederent; Coeleſtinus contra Neſtorium, Leo contra Eutychetem, Martinus contra Monothelitas ſententiam proviſoriam tulerunt, donec haeretici illi in conciliis generalibus Epheſino, Chalcedonenſi, et Conſtantinopolitano tertio, modo definitivo condemnarentur.

§. 129.

Jus primatis relate ad judicia eccleſiaſtica.

Jus, edendi decreta proviſoria, non raro ad judicia epiſcoporum quoque pertinet, quae cum cauſſis fidei plerumque nexu quodam individuo conjuncta eſſe ſolent. Et epiſcopi quidem, hiſtoriâ teſte, in antiquâ eccleſiâ a conciliis provincialibus judicabantur. Quodſi vero illa officio ſuo deeſſent, vel jus ordinemque praeſcriptum violarent, hâcque ratione vel epiſcopum haereticum tuerentur, vel orthodoxum opprimerent, neceſſe omnino erat, reliquos epiſcopos, atque inter hos praecipue eccleſiae primatem rei curam gerere, et vel fidei periclitanti, vel epiſcopis injuſte oppreſſis auxilium ferre. *) Quae res ad primatem eo magis pertinebat, quod in illis judiciis de communione eccleſiaſtica accuſatis vel concedenda vel deneganda potiſſimum ageretur. (§. 123.)

*) S. Cyprianus Cornelium Pontificem interpellabat, cum de deponendo Marciano Arelatenſi Novationis partibus addicto ageretur. *Dirigantur* inquit, *ad provinciam et ad plebem Arelate conſiſtentem a te litterae, quibus ab ſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur.* (pist. 13. lib. 3.

Julius Pont. Athanaſium ab Arianis oppreſſum ac ſede ſuâ pulſum in tutelam recepit. Chryſoſtomus a conciliabulo ad quercum ingrate depoſitus ad Innocentium confugit. Concilium Sardicenſe ſtatuit can. 3. 4. 7., permittendum eſſe cuivis epiſcopo, adverſus quem a concilio lata fuerit ſententia, Romanum Epiſcopum Julium adire, qui ſi ſententiam approbet, illa ſirma maneat, ſecus vero in ejusdem ſit poteſtate, novum concilium epiſcoporum finitimae provinciae ad cauſſam denuo cognoſcendam congregandi, legatosque ſuo nomine ad illud mittendi.

§. 130.

Relate ad leges diſciplinares.

Tametſi unitas eccleſiarum particularium in rebus diſciplinae non ſit abſolute neceſſaria, bonum tamen eccleſiae nonnunquam exigit, ut in rebus quoque diſciplinaribus leges univerſales ferantur. Cum igitur eum in finem concilia generalia quàvis datà occaſione celebrari nequeant, atque primatis poteſtas eo in caſu vires ſuas exſerat, conſequens eſt, ad illum etiam pertinere, caſu hujusmodi emergente decreta diſciplinaria univerſalia condere tamdiu valitura, donec aliud ab eccleſià univerſali decernatur. Quemadmodum vero de canonibus diſciplinaribus conciliorum generalium ſupra (§. 116.) animadverſum eſt, eccleſias particulares poſſe illos, utrum rationibus neceſſitatibusque locorum peculiaribus conveniant, examinare, ſique adverſentur, a promulgatione abſtinere, ita quoque in conſtitutionibus pontificiis idem obtineat neceſſe eſt.*) Quidquid porro in decretis diſciplinaribus recenter editis locum habet, idem etiam, cum de abrogandis ejusmodi decretis, vel de concedendà diſpenſatione univerſali agitur, eſt obſervandum.

*) Huc pertinet, quod Innocentius I. ſcribit ad Alexandrum Antiochenum epiſt. 44. n. 4. *Gravitas itaque tua haec ad notitiam coepiſcoporum vel per ſynodum, ſi poteſt fieri, vel per harum recitationem faciat pervenire, ut omnium conſenſu ſtudioque firmentur.*

Articulus ſecundus.

De juribus primatus adventitiis.

§. 131.

Cauſſae incrementorum poteſtatis pontificiae.

Praeter jura primatus eſſentialia priori articulo explicata, poteſtas pontificia progreſſu temporis magna quoque jurium acquiſitorum, tum illorum, quae ex hodiernâ diſciplina extra controverſiam ſunt poſita, tum eorum, quae in dubium vocantur, incrementa cepit. Quorum cauſſae ſequentes praecipuae videntur: 1) Antiquitus epiſcopus Romanus tanquam patriarcha occidentalis, vel magnae ejusdem partis, prout ex can. 6. conc. Nicaeni, et can. 28. conc. Chalcedonenſis apparet, ſingularibus utebatur juribus, quae deinceps cum juribus primatus permiſcebantur. 2) Epiſcopi ſaepenumero ſponte ſuà, cum negotium videbatur dubium, a Romanis pontificibus conſilium petebant. (§. 124.) Unde factum eſt, ut cauſſae majores, de quibus relationes hujusmodi frequentiores erant, ſenſim Romano pontifici reſervarentur. 3) In litteris decretalibus ab Iſidoro confictis, et a Gratiano in decretum relatis (§. 45. 46.) omnia majoris momenti

negotia ſedi pontificiae reſervantur, appellationum ad Romanam curiam liberrima datur facultas, concilia provincialia absque permiſſu et confirmatione ſummi pontificis habita invalida declarantur, et ut verbo dicam, principium monarchiae pontificiae abſolutae undequaque praedicatur. 4) Cum concilia provincialia indies magis obſolescerent, res maximae olim in iisdem disceptatae et confectae Romam deinceps pertrahebantur. 5) Disciplina quoque eccleſiaſtica medio aevo penitus collapſa, ignorantia et incuria episcoporum illius temporis, delicta denique ſimoniae et incontinentiae, quibus tum clerus maximopere erat deditus, ſummis pontificibus neceſſitatem, poteſtatemque ſuam magis magisque ampliarent.

§. 132.

Diviſio jurium adventitiorum.

Jura primatus adventitia ſecundum hodiernam diſciplinam ubique recepta, de quibus hoc articulo agendum eſt, relationem habent, 1) ad epiſcopos; huc pertinet jus confirmandi et conſecrandi epiſcopos, permittendi translationes, coadjutores conſtituendi, exigendi juramentum fidelitatis, approbandi ceſſiones epiſcoporum, illosque deponendi; 2) ad epiſcopatus; quale jus erigendi epiſcopatus, eosdem vel uniendi, vel dividendi; 3) ad appellationes, quae fiunt ad curiam Romanam, 4) ad quasdam cauſſas recentioris diſciplinae, qualis eſt canonizatio et beatificatio, item approbatio ordinum religioſorum.

§. 133.

Jus confirmandi et consecrandi episcopos.

Confirmatio episcoporum, et consecratio antiquitus uno eodemque actu fieri solebant. Ad metropolitam, episcoposque comprovinciales nimirum spectabat, regere electionem cleri ac populi, dein neoelectum, utrum requisitis omnibus sit instructus, examinare, eique, si habilis reperiebatur, manus imponere. *) Quod et factum esse constat, quoties de postulatione, id est electione illius, cui canonicum obstaret impedimentum, admittendà, removendoque illo impedimento agebatur. Cum vero electiones saepe numero litigiosae essent, ac propterea una alterave pars, judicio metropolitae non acquiescens, ad Romanam sedem provocare soleret, evenit, ut confirmatio a consecratione sejungeretur, ac demum jus utrumque et confirmandi et consecrandi Romano pontifici reservaretur. Reservationes papales, quoad nominationes episcoporum a pontificibus potissimum Avenione residentibus factae multum quoque ad id contulerunt. **)

*) Can. 4. conc. Nicaen.

**) Vanespen Jur. eccl. P. 1. tit. 14. cap. 1. et tit. 15. cap. 1.

§. 134.

Jus permittendi translationes episcoporum.

Ad concilia porro provincialia olim pertinebat, translationes episcoporum ab unà sede ad aliam, canonibus vulgo prohibitas, exigente id singulari ecclesiae utilitate,

permittere; prout ex can. Apost, 13. et conc, Carthag. IV. can. 27. apud Gratianum C. VII. qu. 1. can. 37. elucet. Verum per fictitias decretales C. VII. q. 1. can. 34. jus illud, permittendi translationes, Romano sedi privative fuit adscriptum, *)

*) Vanespen Jur. eccl. P. 1. tit. 15. cap. 4.

§. 135.

Jus constituendi coadjutorem.

Constitutio quoque coadjutoris, cujus in antiquâ ecclesiâ rara admodum occurrunt exempla, tunc temporis a metropolitâ episcopisque provincialibus, exigente necessitate, ipsoque episcopo id petente, clero vero ac populo consentiente, fieri solebat. *) Apostolicae sedis consensu tum demum opus erat, cum episcopo, qui legati aut vicarii apostolici munere fungeretur, coadjutor dandus esset. Verum Bonifacius VIII. cap. un de cleric. aegrot in 6. omnem in constituendo coadjutore episcopali potestatem apostolicae sedi reservavit. **)

*) Teste Eusebio in hist. eccl. lib. 6. cap. 9. Alexander Episcopo Jerosolymitano Narcisso, Augustinus vero, uti narrat Possidius in ejusdem vitâ cap. 8. Episcopo Hipponensi Valerio coadjutor ab episcopis datus est.

**) Ex praescripto constitutionis caesareae dd. 23. Maji 1782 episcopis Austriacis absque praevio summi imperantis consensu coadjutorem petere non licet.

§. 136.

Jus exigendi juramentum fidelitatis ab episcopis.

Quamvis prioribus ecclesiae temporibus, nonnulla reperiantur exempla, quae ostendunt, episcopos neoconsecrandos canonicam metropolitae obedientiam spondere solitos esse, ac imprimis Romanae provinciae episcopos, testante libro diurno Rom. pontif. cap. 3. tit. 6. ad id fuisse obstrictos, mos tamen exigendi ab episcopis sponsionem juramento confirmatam ab undecimo primum seculo ortum habet. Primus omnium Gregorius VII. ab episcopo Aquilejensi juramentum fidelitatis proprie tale, juramento vasallorum simillimum, exigebat, ad quod deinceps successores ejusdem Romani pontifices primum metropolitanos, cum pallium reciperent, tum episcopos provinciae Romanae, demum omnes omnino episcopos obstringebant. Juramenti hujus formula cap. 4. de jurejur. habetur, a Clemente VIII. postmodum aucta, ac Pontificali Romano inserta. *)

*) Vanespen Jur. eccl. P. 1. tit. 15. cap. 2.

§. 137.

Quae ratione juramenti hujus in Austriâ obtineant.

Cum formula juramenti episcopis praescripta relate ad rempublicam periculis non vacare videretur, in terris Austriacis constitutione caesareâ dd. 1. Sept. 1781, decretum est, nolle summum imperantem sive episcopo consecrando sive consecranti juramenti hujus deponendi recipiendique alio pacto facere potestatem, quam si omnis illa formula in sensu

recto ac originario professionis obedientiae solum canonicae, eâque ratione accipiatur, ut neque juribus imperantis majestaticis, neque officiis subditorum ab episcopis jurejurando confirmandis, adversetur. Quapropter episcopi illico post factam nominationem, prius quam juramentum illud pontificium deponant, singulare fidelitatis summo imperanti praéstandae juramentum juxta formulam, decreto caesareo dd. 16. Sept. 1782, ad exemplum ecclesiae Gallicanae praescriptam emittere tenentur.

§. 138.

Quemadmodum confirmatio episcoporum ad metropolitam et episcopos provinciales pertinebat, ita eorundem erat, admittere cessiones seu resignationes episcoporum, quippe quae ob arctissimum, quod inter episcopum ejusque ecclesiam intercedit, vinculum auctoritate propriâ fieri nequeunt. Progressu vero temporis id quoque jus tanquam caussa major ex praescripto potissimum Alexandri III. et Innocentii III. cap. 2. de translat. episc. summo pontifici fuit reservatum. Jus admittendi cessiones episcoporum.

§. 139.

Jus judicandi episcopos, eosque deponendi sine ullâ dubitatione ad concilia provincialia pertinebat, iisque can. 5. concilii Nicaeni dissertis verbis vindicabatur. At impostori Isidoro id quam maxime cordi fuit, ut potestas illa in episcopos Romano pontifici Jus deponendi episcopos.

reſervaretur, quod confictis litteris decretalibus quam plurimis efficere conatus eſt. Concilium Tridentinum ſeſſione 24. cap. 5. de reform. ſtatuit, ut cauſſae criminales graviores contra epiſcopos ab ipſo tantum ſummo pontifice cognoſcantur, et terminentur, ſique inſtructio cauſſae metropolitis vel epiſcopis provinciae fuerit commiſſa, ſententia tamen definitiva nonniſi ab ipſà ſede apoſtolica feratur.

§. 140.

Jus erigendi epiſcopatus, eosque uniendi, vel dividendi.

Jus erigendi epiſcopatus antiquitus conciliis provincialibus fuiſſe proprium, ex can. 98. codicis eccleſ. Afric. et can. 7. concilii Sardicenſis perſpicuum redditur. Iisdem etiam jus erat uniendi epiſcopatus, vel dividendi, prout neceſſitas poſtularet. Utrumque ſubſequentibus temporibus, cum concilia provincialia in deſuetudinem abiiſſent, uſu ac conſuetudine ſine ullà lege ſcripta Romanae ſedi fuit reſervatum.

§. 141.

Jus recipiendi appellationes.

Quamquam prioribus jam eccleſiae ſeculis epiſcopi provinciarum ſidei cauſſa vel alias injuſte oppreſſi ad univerſalis eccleſiae primatem confugere ſolerent, qui ex praeſcripto concilii Sardicenſis ad cauſſam denuo cognoscendam aliud finitimorum epiſcoporum judicium conſtituere conſuevit, (§. 128.) appellationes tamen ad Romanam ſedem propriè tales, quales ſequioribus temporibus in uſum deduci coeperunt, tum adhuc erant incogni-

tae, cauſſis epiſcoporum in provinciis, ubi exortae ſunt, finiri ſolitis, quod ex can. 5. concilii Nicaeni can. 4. et 15. concilii Antiocheni, et epiſtolà eccleſiae Africanae ad Caeleſtinum (§. 190.) clare patet. *) Cum vero appellationibus hujusmodi falſae Iſidori decretales in Decretum Gratiani relatae quam maxime ſuffragarentur, mox illae adeo increbruerunt, tamque late patere coeperunt, ut non pauca inde nationum gravamina orirentur, quibus poſtmodum concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 22. de reform opportunum adhibere remedium ſtuduit.

*) Dupin de antiq. eccl. diſcipl. tom. 1. Diſſ. II.

§. 142.

Decreta Auſtriaca quoad appellationes.

In Auſtriâ ob jus de non evocando (§. 56.) appellationibus non aliter locus datus eſt, quam ut judicium delegatum intra provinciam conſtitueretur. Quamobrem quoad cauſſas matrimoniales, dum illae judiciis eccleſiaſticis erant relictae, conſtit. caeſ. dd. 26. Martii 1782, ſtatutum fuit, illas ab epiſcopo ordinario, et in ſecundâ, ut ajunt, inſtantia a Metropolitâ eſſe definiendas, ſique ſententiae conformes ſint, ulteriori provocationi locum non relinqui; ſi vero difformes, judicium delegatum in provincia eſſe conſtituendum, eosque judices dandos, qui neutrius ſententiae auctores fuerint, iique ultimo loco ferant ſententiam, a quâ ultra provocare non liceat. Quodſi vero metropolita vel episcopus immediatus in primâ inſtantiâ ejusque judicium delegatum in appellatorio

jus dixiſſet, ſententiaeque difformes ſint, provocante unâ alterâve litigântium parte, judicium delegatum a metropolità Romae eſſe petendum, quod tamen epiſcopo nonniſi indigeno ſit committendum. Conſtit. caeſ. dd. 15. Oct. 1782.

§. 143.

Jus canonizandi et beatificandi.

Nullum in hiſtoriâ eccleſiaſtica reperitur veſtigium canonizationis, vel beatificationis pro eccleſiâ univerſâ ante ſeculum decimum, quo Joannes XV. anno 995. Udalricum Auguſtae Vindelicorum Epiſcopum ſolemni quâdam ratione in Sanctorum numerum retulit. Priori enim aetate in dioeceſibus ſolum particularibus ac provinciis ab epiſcopis, conſentiente clero populoque Chriſtiano, ſive per erectionem altaris vel oratorii ſupra ſepulchrum, ſive per translationem reliquiarum, id fieri conſuevit. Abhinc vero a decimo eccleſiae ſeculo coeperunt nonnulli epiſcopi ad actum hujusmodi religioſum Romani pontificis requirere auctoritatem, quod anſam dedit Alexandro III. (Pontifici 1159 — 1181.) cap. 1. de reliq. et vener. Sanct. negotium hoc tanquam cauſſam majorem ſibi vindicandi, quem ſecutus Urbanus VIII. anno 1634. quidquid ad publicum ſervorum Dei cultum in eccleſiâ eſſet decernendum, apoſtolicae ſedi reſervavit. *)

*) Vaneſpen P. 1. tit. 22. cap. 7. In Auſtriâ ſine permiſſu ſummi imperantis indultum pontificium ad celebranda feſta noviter invecta, pietatisque exercitia ne pro choro quidem petere cuiquam licet. Conſtit. caes. dd. 38. Sept. 1782.

§. 144.

Antiquiſſimos religioſorum ordinum fundatores Antonium, Baſilium, Benedictum confirmationem pontificiam aut petiiſſe aut obtinuiſſe non legimus. Primi ordinum ſuorum recenter inſtitutorum approbationem Franciscus et Dominicus a ſede Romanâ implorârunt. Cum porro illo tempore religioſi ordines mirum in modum indies multiplicarentur, Innocentius III. in concilio Lateranenſi IV. interdixit, novum inſtitui deinceps religioſum ordinem. Poſtea a concilio quoque Lugdunenſi II. cautum eſt, ne ullus religioſus ordo, cui non ſingularis apoſtolicae ſedis approbatio accederet, erigeretur, cap. un. de relig. dom. in 6. Unde factum, ut approbatio religioſorum ordinum reſervatis pontificiis adnumeraretur. Jus approbandi religioſos ordines.

Articulus tertius.

De juribus primatus controverſis.

§. 145.

Jura primatus controverſa concernunt, vel eccleſiam univerſam, vel ſingulos epiſcopos, eorumque jura reſpiciunt. Quae eccleſiam univerſam reſpiciunt, in vindicandâ pontifici infallibilitate, ac ſupremâ in ipſum quoque epiſcoporum corpus ſeu collegium po- Diviſio.

teſtate ſita ſunt, de quibus capite ſecundo ſectionis primae actum eſt. Supereſt igitur, ut hoc loco de iis juribus ſedi pontificiae adſcriptis agamus, quae ad epiſcopos ſingulos referuntur, quibusque jura epiſcoporum propria et originaria magnà ex parte violantur.

§. 146.

Principia, unde jura illa controverſa deducuntur.

Omnia vero jura ſedi Romanae in detrimentum epiſcoporum adſcripta ex falſo principio monarchiae pontificiae abſolutae derivantur, Inde enim conſequitur: 1) imperium pontificis neque ullis canonum eccleſiaſticorum vinculis eſſe adſcriptum, neque de illius uſu rationem unquam eſſe reddendam; 2) eſſe eundem epiſcopum univerſalem, qui ubique terrarum concurrente cum epiſcopo jurisdictione potiatur; 3) epiſcopos poteſtatem ſuam nonniſi a pontifice eſſe adeptos, cui illam, prout vellet, diminuere ac reſtringere liceret.

§. 147.

De poteſtate pontificià per canones reſtrictâ.

Ex primo principio, quo pontifex Romanus a canonum obſervatione eximitur, juſtà conſecutione inferunt curialiſtae, poſſe illum omnia ſupra, ut ajunt, et contra jus, ſolam ipſius voluntatem legem eſſe eccleſiae, neque licere de juſtitià decretorum papalium vel minimum dubitare, ipſum dominum eſſe beneficiorum, bonorumque eccleſiaſticorum, et quae ſunt ſimilia. Verum enimvero natura regiminis eccleſiaſtici, (§. 69.) genuina

ejusdem forma (§. 87.) exempla antiquitatis ecclesiasticae, quin et ipsa summorum pontificum effata *) extra controversiam ponunt, Romanum pontificem tum pro semetipso, tum in curandis ecclesiasticis negotiis ad servandos canones ab universa ecclesià receptos obligari, eique quoad singulas etiam ecclesias particulares jurium, quibus illae gaudent, ac consuetudinum peculiarium habendam esse rationem. immo auctoritatem ejusdem in regimine ecclesiastico potissimum in canonum defensione sitam esse. **)

*) Praeter testimonia pontificum supra (§. 129.) adducta sequentia quoque memoratu digna videntur. Coelestinus I. in epist. ad Illyric. Episc. ait: *Dominentur nobis regulae, non regulis dominemur; simus subjecti canonibus, qui canonum praecepta servamus.* Item Zosimus epist. ad Gall. Episop. *Contra statuta patrum concedere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas; apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reverentiam.* Et Gregorius M. epist. ad Natal. Salonit. *Absit hoc a me*, inquit, *ut statuta majorum consacerdotalibus meis in quàlibet ecclesià infringam, quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.*

**) Huc pertinet propositio tertia celebris illius declarationis Cleri Gallicani de anno 1682: *Apostolicae potestatis usum moderandum per canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentià consecratos, valere etiam regulas, mores et instituta a regno et ecclesia Gallicana recepta, patrumque terminos manere inconcussos etc.* Propositio haec, optime pro more suo a Bossueto in Defens. declar. Cler. Gallic. lib. 11. uti et ab auctore tractatus de potestate eccles. et tempor. propos. 5. defensa, non pro eccle-

ſiâ ſolum Gallicana valet. ſed omnibus prorſus eccleſiis convenit, *libertatesque*, quas dicimus, *eccleſiarum exhibet*, quae, ut Boſſuetus eleganter ait, in eo ipſo ſitae ſunt, *ut non hominibus, ſed canonibus ſerviatur.*

§. 148.

De concurrente cum epiſcopis jurisdictione nunciorum apoſtolicorum.

Alterum eſt curialiſtarum principium, Romano pontifici jurisdictionem competere epiſcopalem non ſolum caſu emergente, quo jus devolutionis locum habet, (§. 125.) ſed concurrentem omnino cum epiſcopis per omnem eccleſiam, quam reipſà etiam per nuncios apoſtolicos eximiis facultatibus inſtructos pontifices poſterioribus ſeculis exercere conſueverunt. *) Verum ſententia haec antiquis eccleſiae canonibus apertiſſime adverſatur, quibus omnino interdictum eſt, ne epiſcopus, caſu neceſſitatis excepto, in dioeceſi alterius absque ejusdem facultate quidquam attentare auderet. Summi quoque pontifices antiquae eccleſiae neque ipſimet concurrentem hujusmodi cum epiſcopis jurisdictionem unquam uſurpàrunt, neque permiſerunt, ut legati vicariique apoſtolici epiſcoporum jurisdictionem ullà ratione turbarent, aut violarent, **) In Auſtrià vero jurisdictio nunciorum pontificiorum penitus ceſſavit.

*) Exemplaria facultatum pontificalium, quales unquam a nunciis concedebantur, exhibet Gaertner in Corp. Juris eccl. cath. novior. tom. 2. pag. 443.

**) Litterae Leonis I., Gregorii I., aliorumque pontificum ad vicarios apoſtolicos datae plura

continent monita, quibus isti, cum auctoritatem suam justo magis amplificare vellent, ad legitimos ejusdem terminos illico revocabantur. Constat quoque, Gregorium titulo episcopi unisalis omnibus viribus obstitisse, *si unus universalis est*, ait epist. 70. lib. 7. restat, ut vos episcopi non sitis. Et epist. 22. lib. 9. *Si sua unicuique episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debet ordo, confundatur?*

§. 149.

De reservationibus pontificiis.

Principium tertium curialistarum, episcopos potestatem, eam saltem, quae est jurisdictionis, a Romano duntaxat pontifice obtinere, eique integrum esse, illam, prout libet, diminuere, ac debilitare, supra jam (§. 84.) fuit confutatum. Ex hoc vero principio a veritate prorsus alieno frequentissimae illae reservationes pontificiae consecutae sunt, quibus jura episcopalia ad arctos limites fuerunt restricta, multumque labefactata. Quarum in numero 1) exemtiones, 2) collationes beneficiorum, 3) dispensationes, 4) liberationes a votis, 5) commutationes fundationum piarum, 6) absolutiones a peccatis, censurisque reservatis, denique indulgentiae, commemorandae veniunt.

§. 150.

Genuina principia quoad reservationes.

Ad reservationes pontificias quod attinet, generatim sequentes tenendae sunt regulae: 1) Potestas substantialis, episcopis quà Apostolorum successoribus a Christo collata, ab ullà humanâ potestate nequit coarctari, id est,

nemo hominum poteſt efficere, ne epiſcopi per conſecrationem poteſtatem illam plenam ac integram ſed ut ejus ſolum partem adipiſcantur. 2) Exercitium nihilominus iſtius poteſtatis, utilitate eccleſiae id exigente, cum conſenſu totius eccleſiae, vel ſingulorum epiſcoporum poteſt coarctari. 3) Neque tamen reſervatio hujusmodi ad arbitrium ſine juſtà cauſſà, neque in perpetuum, ſed tam diu ſolum locum habet, quamdiu cauſſa juſta adeſt, bonumque eccleſiae eam exigit. 4) Porro obligantur epiſcopi juribus ſuis originariis uti, quoties iis non utentes bono eccleſiae, animarumque ſaluti, quae in eccleſià ſuprema lex eſt, officiunt.*) 5) In hoc caſu uſui jurium epiſcopalium neque obſervantia, neque praeſcriptio (§. 40.) opponi poteſt. 6) Quodſi tamen epiſcopi juribus ſuis non utantur, eorumdem uſus ex jure devolutionis ad primatem pertinet. (§. 124.)

*) Cum aditus ad pontificem vel impeditus eſt, vel valde difficilis, epiſcopi juribus ſuis uti debent, ex mente omnium canoniſtarum, ceſſante tum omni reſervatione pontificia.

§. 151.

De facultatibus pontificiis.

Quanta vero reſervationes illae pontificiae, quibus poteſtas epiſcopalis arctis prorſus limitibus fuit circumſcripta, in curà ac regimine animorum incommoda adferrent et detrimenta, neque ipſa quoque Romana curia poterat inficiari. Quod certe probant facultates ita dictae epiſcoporum, quarum uſu medio circiter ſeculo decimo ſeptimo in Germanià coe-

pisse constat, quibusque querelas illo jam tempore ab archispiscopis Germaniae contra jurisdictionem nunciorum apostolicorum habitas ansam praebuisse verosimile est. Sunt autem ejusmodi facultates proprie litterae mandati a dataria ac poenitentiaria Romanà episcopis eum in finem traditae, ut certis in casibus vel reservatis vel pro reservatis habitis munere suo ex delegatione fungi, iisdem liceat. Facultates datariae primitus ad duodecim capita revocabantur, quibus deinceps curialistae nemine petente alia complura addiderunt, ut aucto facultatum numero reservationum quoque numerus augeretur. Itaque nostris temporibus numero viginti duae esse solent, quas inter multae certe superfluae prorsus sunt, dignitatique episcorum aliquo modo ignominiosae. *)

*) Vid. opusculum: Kurze Beleuchtung der Emser Punktation pag. 41.

§. 152.

Decreta Austriaca ratione facultatum papalium.

Facultates hae pontificiae episcopis quoque Austriacis neoconsecrandis unà cum bullis confirmationis transmitti solent. Equidem constitutione caesareà dd. 4. Sept. 1781, decretum est, ut episcopi potestate sibi proprià a Deo concessà utantur, quod civitatis, ut id fiat, quam maxime intersit; decretumque hoc a cancellario aulae et status caesareo - regio in celebri responso sub dato 19. Dec. 1781, ad nuncium pontificium dato eo argumento vindicatum est, quod jura, de quibus quaeritur, episcopalia tot seculis episcopatui indi-

vidue annexa, et ab univerſis epiſcopis ſint exercita, quodque ſua majeſtas illo decreto nonniſi abuſum, qui multis hactenus dubitationibus fuerit obnoxius, neque exiguum rei ſubditorum familiari attulerit detrimentum, tollere ſit conata. Poſteaquam vero ſummus Pontifex Pius VI. ipſe Viennam veniſſet, deque his et ſimilibus cauſſis cum Auguſtiſſimo Imperatore Joſepho II. plura habuiſſet colloquia, decreto recentiori caeſareo dd. 11. et 30. Maji 1782, epiſcopis illis, qui propriis ſuis juribus uti gravarentur, venia data eſt, facultates, quas judicaverint, neceſſarias, Romae petendi ita tamen, ut illae ad dies concederentur. Cautum tamen ſimul eſt, ſub dat. 26. Aug. 1782, facultates obtentas pro placeto regio ſemper eſſe porrigendas.

§. 153.

Exemtiones.

Sed jam ad ſingulas ſpecies reſervationum papalium veniamus. (§. 149.) Et imprimis quidem exemtiones monaſteriorum, aliorumque collegiorum a jurisdictione epiſcopi in antiquâ eccleſiâ prorſus erant incognitae. Coeperunt illae exeunte fere ſeptimo eccleſiae ſeculo, et initio nonniſi conſentientibus epiſcopis, progreſſu vero temporis a medio circiter ſeculo undecimo etiam illis inſciis vel invitis a pontificibus concedebantur. Conſtat autem ex hiſtoriâ, quantas nullo non tempore abuſus hic exemtionum excitaverit querelas et moleſtias, quantâque vi et gravitate maxime omnium S. Bernardus eundem impugnare ſit conatus. Cui malo ut adhiberet remedi-

um, concilium Tridentinum ſtatuit, ut epiſcopi impoſterum poteſtate in exemtos neceſſariâ tanquam delegati ſedis apoſtolicae uterentur. In Auſtriâ vero per decretum caeſareum dd. 11. Sept. 1782, exemtiones omnes, utpote civitati noxiae, penitus ſunt ſublatae.

§. 154.

Jus conferendi beneficia eccleſiaſtica cuique epiſcopo in ſuâ dioeceſi proprium eſt, neque ab alio exerceri poterat, quamdiu beneficiorum collatio ex antiquâ eccleſiae praxi cum ipſâ ordinatione erat conjuncta. Poſtquam vero una ſeparatim ab alterâ fieri coepiſſet, coeperunt quoque pontifices variis titulis jus illud ſibi vindicare. Commendabant primum clericos epiſcopo; dein mandabant, mandataque ſua ut ad effectum deducerentur, executores conſtituebant; tum jus quoddam praeventionis in conferendis beneficiis, et generales quibusdam in caſibus reſervationes ſtatuebant; denique eo deventum eſt, ut contenderetur, pontificem dominum eſſe omnium beneficiorum. Querelis inde exortis frequentiſſimis nationes per concordata cum ſede apoſtolicâ inita remedium adhibere conabantur. In Auſtriâ vero reſervationes hujusmodi beneficiorum papales ex decreto caeſareo dd. 7. Oct. 1782, nullum prorſus locum habent. *)

Collatio beneficiorum.

*) Pari modo legibus etiam Hungaricis jam dudum cautum eſt, nequis collationem beneficii eccleſiaſtici ab aliis, niſi a regiâ majeſtate, vel ab illis, qui jus patronatus habent, ſibi procurare attentet. Artic. Diaetal. de an. 1495. art. 31.

§. 155.

Dispensationes

Episcopis jus esse, in canonibus ecclesiae universalibus fideles sibi subditos dispensandi, seu legis gratiam faciendi, infra demonstrabitur. Hoc autem jure parce admodum et cum circumspectione utebantur, tutius se acturos non raro arbitrati, si vel in concedendis hujusmodi dispensationibus a Romano pontifice tanquam canonum defensore consilium peterent, vel partes ipsas ad Romanam sedem preces suas deferre juberent. Maxime vero exemplo S. Anselmi exeunte seculo undecimo Cantuariensis Archiepiscopi, qui primus omnium facultatem, exigente necessitate a canonibus dispensandi, a sede pontificià petiit et impetravit, effectum esse videtur, ut episcopis sensim jus dispensandi, praesertim in caussis matrimonalibus, penitus denegaretur ob eam potissimum caussam, quod inferiori in lege superioris dispensare non liceat. Neque tamen expressa quaedam quoad dispensationes reservatio, ut jam pridem Vanespen P. 2. tit. 14. cap. 1. n. 10. recto observavit, ullo in canone reperitur. Ceterum ex praescripto concilii Tridentini sess. 22. cap. 5. de reform. dispensationes Romanae prius ab episcopo partis impetrantis sunt examinandae, quam ad effectum deducantur.

§. 156.

Decreta Austriaca ratione dispensationum.

In terris Austriacis episcopi in impedimentis matrimonii jure proprio dispensare decreto caesareo dd. 4. Sept. 1781, jussi sunt; quod ex decreto dd. 25. Oct. 1781, ad impedimenta eti-

am occulta pertinet. Qui tamen jure ſuo uti dubitarent, iis decreto dd. 11. Maji 1782. data eſt venia, facultates pontificias ad dies vitae valituras impetrandi, quibus in impedimentis conſanguinitatis vel affinitatis ad ſecundum gradum usque, nobilibus ac divitibus non exceptis, diſpenſare liceret. (§. 155.) In his vero mutatio contigit non exigua, editâ novâ de matrimonio conſtitutione dd. 16. Jan. 1783, quâ jus civitatis proprium, connubia ſubditorum ad ſalutem reipublicae legibus dirigendi, in integrum fuit reſtitutum. Ex praeſcripto enim dictae conſtitutionis §. 16. conſanguineis et affinibus in gradibus ibidem prohibitis diſpenſationem petentibus nonniſi obtento a ſummo imperante conſenſu praevio forum eccleſiaſticum pro impetrandâ diſpenſatione adire licet. Recentiori autem decreto dd. 8. Febr. 1790, cautum eſt, ut praeviâ epiſcopi declaratione, qua in gradu prohibito quoad benedictionem ſacerdotalem auctoritate propriâ et ordinariâ ſeſe diſpenſaturum profitetur, regimen provinciae facultatem habeat, ſummi imperantis nomine quoad contractum quoque matrimonialem diſpenſandi. Quodſi vero epiſcopus diſpenſationem pontificiam neceſſariam judicet, eam impetrandi venia ſpeciatim ab Imperante eſt requirenda, quae nonniſi ea lege, ut diſpenſatio gratis impetretur, dari ſolet. *) In impedimentis autem occultis epiſcopi vel ipſimet diſpenſent, (13. Apr. 1783.) vel ad diſpenſationem obtinendam partium nomine poenitentiariam adeant. (10. Jul. 1783.)

*) Videatur constitutio pro regno Galliciae sub dato 16. Oct. 1800 edita. (Politische Gesetz und Verordnungen B. XV. S. 167.)

§. 157.

Liberatio a votis.

Liberatio a votis, quae proprie est declaratio ecclesiae, casum aliquem sub voto emisso non comprehendi, ex jure decretalium nonnisi in quibusdam casibus nimirum, quoad vota perpetuae castitatis, ingressus in ordinem religiosum, peregrinationis ad limina Apostolorum, vel Compostellam, vel ad Terram sanctam, cap. 5. de poenit. et remiss. inter extravag. commun. sedi Romanae est reservata. Quodsi vero de declaranda votorum religiosorum nullitate agatur, ex praescripto Conc. Trident. sess. 25. cap. 19. de reform. ad episcopum ordinarium pertinet, adscito in consilium superiore ordinis caussam cognoscere et sententiam ferre. In Austriâ porro religiosi utriusque sexus, qui professionis religiosae etiam validae vinculo solvi desiderant, preces suas ad episcopum ordinarium deferre jussi sunt. (25. Januar. 1782.)

§. 158.

Commutatio piarum fundationum.

Quamvis concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6. et sess. 25. cap. 4. de reform. facultatem dederit episcopis, fundationes pias, justâ de caussâ commutandi, et imprimis missas fundatas remittendi, fundationes tamen missarum post concilium factae ab Urbano VIII. anno 1625, exceptae, Romanoque

pontifici ſunt reſervatae. Verum reſervatio haec arbitraria recepta non eſt; decreto enim caeſareo dd. 28. Oct. 1786, admonentur epiſcopi, ut ſi preces hujusmodi pro diminuendis fundationibus occurrant, jure ſibi a concilio Tridentino confirmato utantur.

§. 159.

In antiquà eccleſià reſervationes pontificiae abſolutionum a peccatis vel cenſuris eccleſiaſticis adeo erant incognitae, ut undecimo adhuc ſeculo abſolutiones inſcio epiſcopo Romae obtentae a nonnullis conciliis *) ut invalidae rejicerentur. Attamen, ut graviorum criminum abſolutio difficilior redderetur, poenitentes nonnunquam ab ipſis etiam epiſcopis poenitentiae loco Romam miſſi ſunt; quae res reſervationibus pontificiis ſenſim introducendis anſam praebuit. Concilium Tridentinum hujusmodi quidem reſervationes a pontificibus jure fieri potuiſſe judicat, **) ſeſſ. 14. cap. 7. de ſacram. poenit. ſed epiſcopis tamen in caſibus omnibus occultis apoſtolicae ſedi reſervatis abſolvendi poteſtatem concedit ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. Cum autem illae in bullà coenae potiſſimum contineantur, quae in Auſtrià nunquam fuit recepta, decreto aulico dd. 14. Apr. 1781, cautum eſt, facultates diſpenſandi et abſolvendi a ſede pontificià epiſcopis conceſſas, praeſertim autem facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis in bullà coenae, rejiciendas, ac pro nullis eſſe habendas.

Abſolutiones.

*) Conc. Salegunſtad. de anno 1023, cap. 15. Concil. Lemovic. de anno 1034.

**) Dictae reſervationes fieri nimirum jure poterant iis ſub conditionibus, quos ſupra (§. 153.) expoſuimus. Ceterum memoratu dignum eſt, praedictam de reſervationibus papalibus aſſertionem in capitibus duntaxat haberi, canonibus vero concilii non fuiſſe inſertam; in his enim poſtremis can. 11. de ſacr. poenit de jure ſolum epiſcoporum, non pontificum, peccata ſibi reſervandi mentio ſit.

§. 160.

Indulgentiae.

Quemadmodum ea omnia, quae ad adminiſtrandum poenitentiae ſacramentum ſpectant, antiquitus ad ipſorum epiſcoporum curam pertinebant, ita iidem etiam poenitentias peccatoribus injunctas quandoque remittere, id eſt, indulgentias concedere ſolebant, quoties pro ſingularibus perſonarum, temporum, locorumque adjunctis ob eximium poenitentis fervorem poenitentia hactenus acta ſufficere videbatur. Cum vero medio aevo indulgentiae generales invaleſcerent, et nimium quantum multiplicarentur, Innocentius III. in concilio Lateranenſi IV. ſtatuit, ut indulgentiae in eccleſiarum dedicatione ad annum, aliae vero ad quadraginta dies duntaxat concederentur, additâ ratione, quod et Romanus pontifex idem moderamen conſueverit obſervare, cap. 14. de poenit. et remiſſ. Unde nata eſt opinio, omnes indulgentias majores pontifici eſſe reſervatas. In Auſtriâ ex decreto caeſ. dd. 7. Maji 1782, omnes omnino litterae indulgentiarum pro obtinendo placeto regio ad aulam transmittendae

fuerunt. Quodſi quis pro concedendis indulgentiis ſupplicet, preces epiſcopo ordinario porrigendae ſunt, qui rem examinet, ſique conceſſionem indulgentiae minus conſultam judicet, ſupplicantem repellat, ſi vero momenta ſufficientia ipſi videantur, placetum regium ad elargiendam vel impetrandam indulgentiam implorare debeat. (15. Oct. 1782.)

Articulus quartus.

De adjutoribus et vicariis primatis.

§. 161.

Origo Cardinalium.

Summo pontifici in exercendis juribus primatialibus adſiſtunt, ejusque vices gerunt tum S.R.E. Cardinales, tum varia tribunalia pontificia, ac congregationes Cardinalium, item legati apoſtolici. Cardinalis nomen iis omnibus eccleſiae miniſtris olim commune erat, qui certis eccleſiis ſtabili lege erant adfixi et veluti incardinati. Quorum in numero in eccleſiâ Romanâ referendi ſunt, partim presbyteri paroeciis aliisve baſilicis urbis praepoſiti, partim diaconi, qui, in certis urbis regionibus diſperſi, locis. ubi alebantur pauperes ac viduae, annexisque ſacellis praeerant, inde et regionarii dicti; quibus paulatim vicini quoque epiſcopi ex agro Romano adſcripti ſunt. Hi poſtquam jure eligendi pontificis, excluſo reliquo clero populoque, po-

titi essent, cardinalium nomen tandem sibi solis proprium vindicarunt.

§. 162.

Jura Cardinalium sede plenâ.

Jura cardinalium alia sunt, quae vivo pontifice seu sede plenâ, alia quae sede vacante locum habent. Sede plenâ: 1) senatum seu presbyterium summi pontificis conficiunt, 2) in variis congregationibus et tribunalibus a consiliis sunt, aut munus praesidis obeunt, 3) funguntur officio protectorum ad curanda nationum principumque negotia, seculo circiter decimo quinto, quod est vero simile, eum in finem constituto, ut immoderatis reservationibus pontificiis limites ponerentur.

§. 163.

Sede vacante.

Sede vacante cardinalium jura in eo posita sunt, 1) quod gerant regimen politicum in territorio Romano, cui singulis diebus tres alii cardinales, unus episcopus, alter presbyter, tertius diaconus, praeficiuntur; 2) quod ad ipsos solos, excluso reliquo clero, jus eligendi pontificis pertineat; quod a Nicolao II. cardinalibus episcopis tantum, ab Alexandro III. autem toti cardinalium collegio fuit concessum. Jurisdictionis tamen primatialis, cum personae pontificis inhaereat, excepto casu urgentis necessitatis, neutiquam fiunt participes, cap. 3. de elect. in 6. Clement. 2. de elect.

§. 164.

Praeter jura enumerata cardinales ſingularibus etiam fruuntur privilegiis et decoraminibus. Decoramina in eximio dignitatis gradu, quo ex hodiernà diſciplinà omnibus epiſcopis quin et patriarchis ſuperiores ſunt, dein in veſte purpureà, pileoque rubeo, item in titulo eminentiſſimi potiſſimum ſita ſunt. Privilegia vero praecipua eo redeunt, quod in conciliis, etiamſi non ſint epiſcopi, gaudeant jure ſuffragii deciſivi, quodque in eccleſiis ſuorum titulorum jurisdictione quaſi epiſcopali utantur, ac perſonis eccleſiis hisce adſcribendis tonſuram et quatuor minores ordines, modo ſint presbyteri, conferre poſſint. Privilegia et decoramina Cardinalium.

§. 165.

Numerus cardinalium diverſis temporibus varius fuit; et quamvis decreto concilii Baſileenſis ſeſſ. 23. *) ad viginti quatuor revocaretur, poſtea tamen ad 70. auctus eſt, ita quidem, ut ſex ſint cardinales epiſcopi, quinquaginta presbyteri, et quatuordecim diaconi. Creantur cardinales a pontifice; conſuetudine tamen imperantes catholici jus nominandi aliquos cardinalitià dignitate decorandos, qui cardinales coronae vocari ſolent, obtinuerunt. Quibus vero dotibus inſtructos eſſe oporteat cardinales, et quae in eis creandis obſervandae ſint cautelae, concilium Trident. ſeſſ. 24. et 25. cap. 1. de reform. declaravit. Numerus et creatio Cardinalium.

*) Decreto hoc notatu digniſſimo et in concordata etiam nationis Germanicae recepto cantum praeterea fuit, ex omnibus orbis Chriſtiani provinciis eſſe eligendos viros doctiſſimos, integerrimos, maximeque idoneos, qui ad cardinalitiam dignitatem proveherentur; electionem ab ipſo cardinalium collegio per vota majora eſſe inſtituendam: cardinalibus epiſcopis quam maxime integritatis fidei, presbyteris diſciplinae eccleſiaſticae, diaconis pacis in eccleſiâ et concordiae cum principibus ſervandae curam eſſe gerendam, etc.

§. 166.

Conſiſtorium Cardinalium.

Coetus cardinalium praeſide pontifice ad tractanda negotia eccleſiaſtica coactus conſiſtorium cardinalium dicitur. Illud vero duplicis eſt generis, vel ſecretum idque ordinarium, ad quod cardinalibus ſolis patet aditus, vel publicum, et extraordinarium, quod extra ordinem ſingulares ob cauſſas modoque ſolemni, praeſentibus compluribus praelatis, magiſtratibus, ac legatis principum, celebrari ſolet. Negotia in conſiſtorio cardinalium tractanda cauſſas conſiſtoriales vocant; inter quas numerantur imprimis pro conſiſtorio ſecreto: creatio cardinalium item epiſcoporum, et coadjutorum epiſcopalium, conceſſio pallii, unio epiſcopatuum, etc. pro publico vero canonizatio, receptio legatorum principum, et quae ſunt ſimilia.

§. 167.

Varia ſummi pontificis tribunalia.

E tribunalibus pontificiis notatu digniora illa ſunt, quae cancellariae, datariae, poenitentiariae ac rotae Romanae nomine veni-

unt. Cancellaria in conficiendis. ſcribendis, et expediendis litteris apoſtolicis, ſive brevibus, verſatur; eique regulae cancellariae, quas vocant, praeſcriptae ſunt, in rebus praeſertim beneficialibus normam continentes, quae tamen extra curiam, niſi forte uſu receptae ſint, vim legis neutiquam obtinent. Gratiae apoſtolicae extra conſiſtorium conceſſae, ut ſunt diſpenſationes, et abſolutiones, pro foro externo a Datariâ, pro interno a Poenitentiariâ, et ab hac quidem prorſus gratuito expediuntur. Rota denique Romana ſuprema eſt curia judicialis ad cognoscendas finiendasque cauſſas litigioſas conſtituta, ejusque deciſiones partes duntaxat litigantes obligant, jus vero commune non efficiunt.

§. 168.

Congregationes varíae.

Congregationes cardinalium vel fixae ſunt et ſtabiles, ad curanda certi generis negotia conſtitutae, vel extra ordinem pro cauſſis ſingularibus ad tempus inſtituuntur. Quae ſunt prioris generis, eas inter principem facile locum tenent congregationes cardinalium concilii Tridentini interpretum, S. Officii, ſeu Inquiſitionis, Indicis, Rituum, ſuper negotiis epiſcoporum et regularium, et de propagandâ fide. Declarationes vero a congregationibus cardinalium editae, licet in formâ authenticâ expediantur, et generales ſint, nec ad locum certum nec ad perſonam reſtrictae, vim tamen legis pro eccleſiis particularibus tum ſolum habent, ſi ſunt recep-

tae ac legitime promulgatae. Id quod de indice quoque librorum prohibitorum a congregatione indicis condito ſtatuendum eſt. *)

*) Decreto caeſareo dd. 14. Maji 1781, ſubditi omnes ſive clerici ſint ſive laici, ſi de libris premiſſis vel prohibitis quaeritur, non aliam, niſi quae a cenſura librorum caeſ. reg. praeſcripta eſt, normam ſequi jubentur.

§. 169.

Legatorum pontificiorum origo.

In provinciis exteris ſummum pontificem in explendo munere adjuvant, ejusque vices ſupplent legati, vicariique apoſtolici. Hi origenetenus duplicis ſunt generis, alii temporarii et extraordinarii, ad tempus duntaxat et extra ordinem ad expediendum unum alterumve negotium et potiſſimum quidem ad celebranda concilia, ubi pontificis nomine praeſideant (§. 125.) ablegati, alii perpetui, et ordinarii, qui vel in aulà Imperatoris jugiter morabantur, ut ibidem eccleſiae Romanae negotia curarent, de iisque ad pontificem referrent, inde etiam apocriſiarii et reſponſales dicti; vel ex epiſcopis provinciarum electi, pontificis nomine jura primatialia aut patriarchialia per quasdam regiones exercerent, proprie vicarii ſedis apoſtolicae, quorum exemplum vetuſtiſſimum epiſcopus Theſſalonicenſis vicarius apoſtolicus per Illyricum exeunte ſeculo quarto conſtitutus ſuppeditat. A ſeculo nono tum legationum pontificiarum frequentia mirifice invaluit, tum legatorum etiam poteſtas adeo excrevit, ut graves admodum juſtasque epiſco-

porum ac principum querelas excitaret: tanto malo ut medela adferretur, concordatis nationum et conciliorum decretis, legatorum pontificiorum auctoritas justis limitibus fuit circumscripta.

§. 170.

Hodiernis temporibus plura discernimus legatorum pontificiorum genera. Primo loco occurrunt legati nati seu episcopi provinciarum, quorum ecclesiis munus legationis perpetuo est annexum. Successerunt illi in locum vicariorum sedis apostolicae; est praeter titulum locumque honoris vix ullà hodie potiuntur auctoritate.*) Alterum genus est legatorum missorum seu datorum, qui speciali pontificis mandato in exteras provincias mittuntur. Hi porro, si respicias tempus, ad quod legationis munus confertur, vel sunt missi seu nuncii ordinarii, vel extraordinarii pro certis negotiis extra ordinem constituti; si auctoritatem potestatemque, vel sunt legati a latere, qui e numero cardinalium sumpti pro negotiis duntaxat maximi momenti ablegantur, eximià dignitate, auctoritateque conspicui, vel missi cum potestate legati a latere, qui cum cardinales non sint, potestatem tamen legatorum a latere obtinent, vel denique missi simpliciter, hoc est, legati nec cardinales, nec potestate legati a latere instructi. Varia genera.

*) Ejusmodi legati nati in terris Austriacis sunt archiepiscopi Salisburgensis, Pragensis, et Strigoniensis.

§. 171.

Officium.

Legatorum pontificiorum **jura et officia** noſtris temporibus non jure decretalium, quod hac in re maximam partem in deſuetudinem abiit, vel ſaltem non ubique receptum eſt, ſed litteris mandati pontificii ac ſpecialibus, quibus inſtruuntur, facultatibus ſunt dimetienda. Quanta vero facultatibus hisce vis inſit obligandi, definiendum eſt ex genuinà poteſtatis tum primatialis, tum patriarchalis notione, quippe cum legatorum auctoritas iisdem, quibus ipſa papalis, limitibus circumſcribatur. Itaque canonum eccleſiae univerſalis, et obſervantiae legitimae, juriumque tam imperantium civilium, quam epiſcoporum ratio habenda. Ita imperanti jus eſt, litteras legationum examinandi, atque nonniſi legitimis ſub conditionibus legatos recipiendi, immo et eos, qui juſtà de cauſſà displicent, recuſandi. Jura quoque epiſcoporum ſancte ſunt ſervanda, nullàque ex parte a legatis violanda. (§. 148.)

Sectio tertia.

De poteſtate eccleſiaſticâ relate ad eccleſias particulares.

Caput primum.

De patriarchis, primatibus, et metropolitis.

§. 172.

Imperii Romani adminiſtratio Conſtantini tempore inter quatuor praefectos praetorio pro Oriente, Illyrico, Italiâ, et Galliâ conſtitutos dividebatur. Quaevis praefectura conſtabat dioeceſibus, dioeceſis provinciis, quarum illis vicarii vel proconſules, his vero praeſides provinciarum praeerant. Hanc diviſionem imperii politicam maximâ ex parte ſecuta eſt eccleſia in determinandis variis hierarchiae gradibus inter epiſcopos. (§. 106.) Etenim qui in urbibus dioeceſeon principalibus ſedem epiſcopalem tenebant, illis provinciae dioeceſeos ſuberant, nomenque exarchorum, quibusdam etiam cum quadam praecellentià patriarcharum, erat pro-

Diviſio eccleſiaſtica dioeceſium et provinciarum.

prium. Epiſcopi vero metropolium praecellebant quoque reliquis epiſcopis provinciae inde metropolitae vocati. Nonnullae tamen eccleſiae alio quoque titulo, ex. gr. propter antiquitatem, originemque Apoſtolicam, quae ſpeciatim inſtituendo patriarchatui Jeroſolymitano anſam dedit, principem locum obtinuerunt. *)

*) Hanc materiam optime illuſtravit Dupinius de antiq. eccl. diſcipl. tom. 1. diſſ. 1.

§. 173.

Exarchi et patriarchae.

Itaque Occidenti praeerat patriarcha unus, epiſcopus videlicet Romanus, cujus diaeceſis, ut ſentit Dupinus, initio non niſi provincias illas, quae vicario urbis Romae ſuberant, deinceps vero etiam Illyricum, tum omnem Italiam, Galliam, et Hiſpaniam comprehenderat. Oriens autem quinque dioeceſibus conſtabat: Aegypto, cui patriarcha Alexandrinus, Oriente proprie tali, cui Antiochenus, Ponto, cui exarcha Caeſareenſis in Cappadociâ, Aſiâ, cui Epheſinus, et Thraciâ, cui Heracleenſis praefectus erat. Sed dioeceſes Ponti, Aſiae, et Thraciae, poſtea a concilio Chalcedonenſi epiſcopo Conſtantinopolitano, in patriarcham creato, ſubjiciebantur. Idem concilium epiſcopo Jeroſolymitano patriarchalem dignitatem contulit, ſubditis eidem tribus provinciis Palaeſtinae, quibus patriarcha Antiochenus in illius favorem ſeſe abdicaverat. Africana vero eccleſia propriis utebatur juribus; ibi enim

episcopus Charthaginensis per omnes provincias, in singulis vero provinciis episcopus senior primatum tenebat.. *)

*) Quod hodie dioecesim episcopalem dicimus, id tunc temporis *paroeciae* nomine veniebat.

§. 174.

Patriarcharum jura praecipua erant, ut provinciarum omnium suae dioeceseos supremam curam gererent, synodos convocarent, appellationes a judiciis metropolitarum reciperent, metropolitas confirmarent et consecrarent, quin et alienae paroeciae subditos suae ipsorum ecclesiae adscribere, eisque ordines conferre possent. Quae tamen jura recentiori aevo in solo vero pontifice Romano, quà patriarchà occidentis, salva perstiterunt; reliquis enim patriarchis vix aliud quidquam praeter nomen reliquum est, postquam diaeceses eorum in infidelium potestatem redactae fuerunt. Ceterum posterioribus temporibus alterius quoque generis patriarchae, minores dicti, invaluerunt, quales hodie sunt patriarchae, Venetus, Lusitanus, Indiarum, et Ciciliae in Armenia, quorum praerogativae simili modo intra solum honoris gradum, et titulum consistunt.

Jura patriarcharum.

§. 175.

Primatis nomen olim episcopis omnibus, qui prae ceteris dignitate eminerent, patriarchis, exarchis, ac metropolitis commune erat,

Primates regnorum.

in Africâ vero epiſcopo Carthaginenſi et cujusque provinciae epiſcopo ſeniori concedebatur. Verum per conſictas ab Iſidoro decretales (Diſt. 99. can. 1. et 2.) novum primatum genus in eccleſiâ Latinâ invaluit, qui patriarchas inter et metropolitas medium quaſi locum tenerent, vicarioque Romani pontificis nomine poteſtate patriarchali in quasdam occidentis provincias fungerentur; qui, ſi dignitas haec ſedi erat affixa, etiam legati nati (§. 170.) dicti ſunt. His poſtea primates quoque honorarii acceſſerunt. Sed et prioris generis primates noſtris temporibus praeter tituli et honoris praerogativam vix quidquam habent praecipui.

§. 176.

Metropolitarum jura antiqua.

Metropolitarum ſeu archipiſcoporum *) jura ex veteri eccleſiae diſciplina, tum canonibus Nicaenis aliorumque conciliorum, tum conſuetudine ſancita, prorſus erant inſignia, et eo potiſſimum redibant, ut 1) epiſcopos provinciales confirmarent et conſecrarent, (§. 133.) 2) concilia provincialia, in quibus omnes res majoris momenti tractanda erant, cogerent, iisque praeeſſent, 3) totius provinciae ſupremam curam gererent, hinc ab epiſcopis relationes de negotiis gravioribus exigerent, provinciam viſitarent, a judiciis epiſcopalibus appellationes reciperent, epiſcopos negligentes admonerent, accuſatos in ſynodo provinciali judicarent, extra provinciam peregrinantibus litteras formatas darent, et quae ſunt ſimilia.

*) *Archiepiſcopi* nomen primum ſolis patriarchis, dein metropolitis illis, qui prae ceteris potiorem tenebant dignitatem, denique metropolitis ſine diſcrimine omnibus conceſſum eſt, quibus tamen ex recentiori diſciplinâ, nonniſi recepto pallio, eo nomine uti licet. Epiſcopi provinciae relate ad metropolitan *Suffraganei* vocantur. Sunt autem archiepiſcopi in terris germano Auſtriacis ſequentes: *Viennenſis*, cujus Suffraganei S. Hyppolytanus, et Lincenſis; *Pragenſis*, ſuffraganei Reginohradecenſis, Litomericenſis, et Budwicenſis, *Olomucenſis*, ſuffraganeus Brunenſis; Sedes epiſcopales in Illyria ſunt Labaci, Tergeſti. Goriziae et Segniae. *Salisburgenſis*, ſuffraganei Chiemenſis, Graecenſis, Gurcenſis, In Gallicia eſt Metropolita Leopolienſis, ſuffraganeus Przemyslenſis. Salisburgenſis id habet juris praecipui, ut ſuffraganeos hodiernis adhuc temporibus ipſe confirmet.

§. 177.

Horum jurium diminutio.

Verum jura haec metropolitarum inde ab aetate Pſeudo-Iſidori, cum concilia provincialia rara admodum eſſe coepiſſent, poteſtas autem pontificia magis magisque invaleſceret, epiſcopi quoque nonnunquam variis adducti rationibus pontificis mallent, quam metropolitae partes ſequi, denique metropolitae ipſi jurium ſuorum conſervandorum curam gerere negligerent, arctos omnino intra limites ſunt circumſcripta. (§. 131.) Et cauſſae quidem omnes, quas vocant, majores, in quarum numero inprimis eſt, jus confirmandi epiſcopos, (§. 133.) permittendi translationes epiſcoporum, (§. 134.) eosque judicandi et deponendi, (§. 139.) ſedi pontificiae ſunt reſervatae. Cum autem quaevis mutatio juris antiqui ſtrictiſſimae ſit interpretationis, facile intelligitur,

eam tenendam esse regulam, omnia illa etiamnum metropolitis jura competere, quae recentiori aetate sive canonum praescripto, sive consuetudine iisdem ademta esse, ostendi nequit.

§. 178.

Jura metropolitarum hodierno tempore.

Hodiernis temporibus jura metropolitarum, quorum in decretis reformationis concilii Tridentini fit mentio, sequentia sunt: 1) Eorum est, tertio quovis anno concilium provinciale convocare, sess. 24. cap. 2. quod tamen extra usum est. 2) Dioeceses episcoporum visitare, caussà prius in synodo provinciali cognità et probatà, ibid. 3. 3) Episcopos in erigendis seminariis negligentes ad officium revocare, sess. 23. cap. 18. 4) Examinare et approbare caussas absentiae episcoporum, sess. 23. cap. 1. eosque qui ultra annum absunt, pontifici denuntiare, sess. cap. 1. 5) Sede episcopali vacante vicarium et oeconomum constituere, si capitulum cathedrale hac in re suo desit officio, sess. 24. cap. 16. Accedit 6) jus recipiendi appellationes a judiciis episcopalibus, 7) supplendi negligentiam episcoporum in conferendis beneficiis, aliisque curandis negotiis, quod jus devolutionis vocatur, (§. 127.) 8) denique exercendi jurisdictionem in episcopos provinciae in casibus jure non exceptis; tales caussae exceptae sunt criminales. (§. 139.)

§. 179.

Insignia archiepiscoporum.

Insignia patriarcharum, primatum, et metropolitanorum sunt: crux, quae ipsis

praefertur, et pallium, quod ſuper veſtes pontificales deferre ſolent. Crucis uſus a Romanis pontificibus originem trahit, transiitque ad alios archiepiſcopos ſeculo primum decimo tertio. Pallii origo perquam eſt obſcura; alii illud inſigne imperatorum fuiſſe, ab iisque paulatim patriarchis, ab his vero aliis epiſcopis conceſſum cenſent; a patriarchâ Alexandrino alii originem repetunt, qui peculiarem hunc veſtitum invenerit, quemque alii patriarchae ſint ſecuti. Quidquid ſit, uſus certe pallii perantiquus eſt, isque in eccleſia graeca prius, quam in latina invaluit. Exſtat hujus moris monumentum vetuſtiſſimum, ac pro terris Auſtriacis notatu digniſſimum, epiſtola nimirum Symachi Romani Pontificis ſeculo ſexto ad Theodorum Epiſcopum Laureacenſem, qua pallium ipſi more, ut ait, majorum confert, quamvis veritas hujus epiſtolae a nonnullis ſcriptoribus in dubium vocetur. *)

*) Vid. Beyträge zur Geschichte des Landes Oesterreich ob der Enns von Franz Kurz, regul. Chorherrn zu St. Florian, 3. Thl. S. 75.

§. 180.

Statuta de pallio.

Collatio pallii ſedi apoſtolicae eſt reſervata. Conficitur modo ſolemni, in altari ſepulturae St. Petri benedicitur, regulariter archiepiſcopis omnibus, aliis vero nonnullis epiſcopis ex privilegio ſpeciali confertur. Tenentur autem metropolitae intra tres menſes a conſecratione enixis illud precibus petere, neque antequam receperint, ullas peragere

ipſis licet functiones archiepiſcopales. Jus vero pallio utendi neque perſonam egreditur, neque extra provinciam extenditur, nec aliis quam ſtatutis diebus locum habet. (Tit. de auct. et uſ. pall.) Ceterum ab eo, cui pallium conceditur, certa pecuniae ſumma, quae ſuſtentandorum Romanae Curiae officialium nomine exigi ſolet, praeſtanda eſt.

Caput ſecundum.

De Epiſcopis.

Articulus primus.

De juribus et officiis epiſcoporum.

§. 181.

Principia generalia.

Epiſcoporum jura relata ad univerſam eccleſiam, quantum ſupremae in gubernandà eccleſià poteſtatis ſunt participes, ſupra jam examinavimus. Supereſt, ut hoc loco de iis agamus juribus, quibus relate ad particularem, cui praeſunt, diaeceſim utuntur. In quibus ſtatuendis ſequentia principia ſequenda ſunt: 1) Poteſtas epiſcopis propria tam ordinis quam jurisdictionis immediate eſt a Deo (§. 183. 184.) ſola aſſignatio eccleſiae plebisque eſt originis humanae. 2) Regunt epiſcopi dioeceſes ſuas jure proprio non vicario Romani pontificis (§. 149.) 3) Jura ſua

tenent privative, ut dici ſolet, ita ut nemini cuipiam iisdem uti liceat, exceptis caſibus, ubi vel neceſſitas urget, vel jus devolutionis obtinet, neque ulla datur jurisdictio cum epiſcopali concurrens. (§. 148.) 4) Neque precaria eſt poteſtas epiſcoporum, ſed ordinaria, vi officii ſtabilis iisdem competens, eique nexu indivulſo cohaerens, unde et ordinarii dicuntur. 5) Extenditur ad omnes fideles, qui dioeceſim incolunt, inde dioeceſani vocati, nullo excepto. (§. 153.) 6) Eadem nonniſi una eſt, cui, ſiqua alia ſit poteſtas hierarchica in dioeceſi, omnino ſubjecta ſit oportet. 7) Porro plenaria eſt, ad omnes cujuscumque generis cauſſas eccleſiaſticas ſeſe exporrigens; 8) ita tamen, ut ad canonum eccleſiaſticorum, ordinisque hierarchici obſervationem reſtringatur.

§. 182.

Diviſio jurium epiſcopalium.

Jura epiſcoporum in regendis, quibus praeſunt, dioceſibus referuntur, 1) ad curam animarum proprie ſic dictam, ſeu jurisdictionem internam, jura regiminis interni, 2) ad functiones ordinis epiſcopis proprias, jura ordinis epiſcopalis, 3) ad jurisdictionem epiſcopalem externam, jura regiminis externi, quae a juris eccleſiaſtici ſcriptoribus in jura jurisdictionis, et illa, quae ſunt legis dioeceſanae, dividi ſolent, quin tamen in eo conveniant, qua ratione una ab alterà diſtinquatur. *) Denique 4) ad dignitatem exteriorem, ejusque inſignia, jura ſtatus et dignitatis.

*) Ad ſtatuendam hanc diſtinctionem exemtiones monaſteriorum occaſionem praebuerunt; in quibus enim exemta erant monaſteria a poteſtate epiſcoporum, ea ad legem dioeceſanam, quae vero poteſtati epiſcopali ſuberant, ad legem jurisdictionis revocabantur.

§. 183.

Jura regiminis interni.

Jura regiminis interni ad praedicationem verbi divini et ad cultum externum, adminiſtrationemque ſacramentorum ſpectant. Epiſcopus quippe curator animarum eſt in ſuà dioeceſi primus, omnibusque ſuperior, cujus presbyteri in explendo officio ſocii ſunt, et adjutores; (§. 100.) habet igitur poteſtatem, per univerſam dioeceſim ſacramenta adminiſtrandi, curamque animarum totam ac integram exercendi. Quapropter officii epiſcoporum eſt, 1) verbum Dei praedicare; idque ex praeſcripto concilii Tridentini ſeſſ. 5. cap. 2. de reform. per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, 2) cultus divini exterioris curam gerere, ejusque modum, tempus et ordinem determinare, et abuſus, qui forte irrepſerunt, corrigere. *) 3) Miſſae ſacrificium celebrare, et generatim ſacramenta adminiſtrare, id quod in antiquà eccleſià ex ordine nonniſi ab epiſcopo, a presbyteris vero in ſubſidium duntaxat, eoque permittente, factum eſſe hiſtoria teſtatur. (§. 99.)

*) Apoſtolis certe oratio, et verbi divini praedicatio primarium erat negotium: propterea enim diaconos conſtituebant, ut eo liberius orationi, verbique divini miniſterio vocare poſſent, Act. VI. 4.

§. 184.

Cum episcopus minister sit ordinarius sacramenti poenitentiae, ejusque sit, ea ordinare, quae ad administrandum hoc sacramentum pertinent, sequitur, eidem jus esse, 1) concedendi indulgentias, (§. 160.) 2) quorumdam casuum absolutionem sibi reservandi, cujus reservationis effectus is est, ut absolutio absque permissu episcopi viribus destituatur. Conc. Trident. sess. 14. de poenit. cap. 7. et can. 11.

Inprimis relate ad sacramentum poenitentiae

§. 185.

Functionibus ordinis episcopalis propriis adnumeratur, idque ex institutione divinâ (§. 99.) 1) administratio sacramenti confirmationis, quantum attinet ad ordinariam potestatem, 2) collatio sacrorum ordinum, quae neque delegari cuiquam, qui non sit episcopus, potest; ex institutione vero humanâ 3) ss. oleorum consecratio, in festo coenae Domini fieri solita, 4) item consecratio ecclesiarum et altarium, 5) benedictio abbatum, abbatissarum, et sacrarum virginum, 6) benedictio caemeteriorum, et similia.

Jura ordinis episcopalis.

§. 186.

Jura episcopalia regiminis externi praecipua sunt: 1) Vi legislatoriae potestatis (§. 72 — 74.) constitutiones edunt seu pro universâ dioecesi, seu pro nominatis partibus ejusdem valituras, canones ecclesiasticos uni-

Jura regiminis externi.

verſales recipiunt, et promulgant, in iisque juſtis de cauſſis diſpenſant. 2) Ubi de juribus eccleſiaſticis vel de delictis eccleſiaſticis agitur, poteſtate judiciariâ funguntur. (§. 175. 176.) 3) Delicti eccleſiaſtici reos poenis eccleſiaſticis coercent. (§. 177. 178.) 4) Conſervandae fidei ac diſciplinae curam gerunt, moribusque clericorum invigilant, quem in finem viſitationes canonicae ſunt praeſcriptae. 5) Officia et beneficia eccleſiaſtica in dioeceſi conferunt. 6) Denique bona eccleſiaſtica adminiſtrant.

§. 187.

Jus edendi conſtitutiones.

Itaque epiſcopo jus eſt, edendi conſtitutiones in bonum fidei et diſciplinae eccleſiaſticae pro univerſâ dioeceſi ita valituras, ut dioeceſani omnes iisdem morem gerere teneantur, quae tamen neque traditioni eccleſiae, neque canonibus eccleſiaſticis univerſalibus adverſentur. *) Jus vero hoc ad definitiones etiam dogmaticas pertinere, ex eo perſpicuum fit, quod praecipuum ſit epiſcopi officium, invigilare, ut fidei doctrina pura et integra ſervetur, atque erroribus rectae fidei adverſis obſiſtere. Unde et in antiquâ eccleſiâ haereſes complures, teſte Auguſtino, ibi e veſtigio damnatae ſunt et eradicatae, ubi exortae fuerant. St. Auguſt. lib. 4. ad Bonifac. cap. 12.

*) Decreto tamen caeſ. reg. dd. 17. Mart. 1791. §. 3. n. 5. cautum eſt, ut litterae paſtorales et encyclicae ab epiſcopis ad clerum dioeceſeos mittendae, quibus ulla obligandi vis inſit, quae-

que vel ad dioecefim univerfam, vel ejus partem pertineant, ante expeditionem et promulgationem regimini provinciali infpiciendae et approbandae exhibeantur.

§. 188.

Recipiendi et promulgandi canones univerfales.

Porro epifcopi eft, quantum ad dioecefim attinet, recipere et promulgare decreta conciliorum, et refcripta pontificia, eaque ex ordine nonnifi per epifcopum clero inferiori populoque innotefcant, oportet. Ad eundem pertinet, canones difciplinares examinare, an ftatui ecclefiae fuae, populique neceffitatibus conveniant, (§. 116. 130.) quin et definitiones fidei a folo Romano pontifice editas, cum traditione ecclefiae univerfalis conferre. (§. 95.) Id, quod tum naturâ poteftatis ecclefiafticae (§. 69,) tum praxi antiquae ecclefiae (§. 90.) confirmatur.

§. 189.

In iisdem difpenfandi.

Poteftate ligandi et folvendi, quam epifcopis propriam effe fupra diximus, nititur quoque jus, dioecefanos fuos legibus difciplinaribus juftis de cauffis (§. 36.) folvendi, feu eosdem difpenfandi. Leges enim ecclefiafticae latae funt in bonum ecclefiae, quod in curandâ animarum falute ponitur. Accidit autem nonnunquam, ut relaxatio legis in cafu quodam fingulari faluti animarum, bonoque ecclefiae plus, quam ejusdem obfervatio conveniat. *) Cum igitur officium fit epifcopi, falutis animarum in fuâ dioecefi curam fupremam gerere, isque unus omnium

maxime neceſſitates plebis ſibi concreditae cognoſcere poſſit ac debeat, conſequens eſt, jus diſpenſandi dioeceſanos, cauſſâ juſtâ id exigente, ad epiſcopum pertinere. Neque dicat quis, ſubdito non licere diſpenſare in lege ſuperioris. Non enim hoc loco pro meris Romani pontificis, conciliorumque ſubditis habendi ſunt epiſcopi, ſed pro ſociis regiminis, poteſtatisque legislatoriae. Jure iſthoc relaxandi canonum rigorem primis jam dudum ſeculis epiſcopos uſos eſſe, ut cumde permittendis translationibus, de ordinandis neophytis, iisque qui in ſecundis nuptiis viverent, aliisque ſimilibus, ageretur, luculenta demonſtrant eccleſiaſticae antiquitatis monumenta, Vid. Thomaſin de vet. et nov. eccl. diſcipl. p. 2. lib. 3. cap. 24. Ceterum quid de reſervatione papali quoad jus diſpenſandi ſentiendum ſit, ſupra (§. 155.) oſtendimus.

*) *Quamvis a patribus ſtatuta*, ait Symachus Papa in epiſt. ad Avitum Vienn. *diligenti obſervatione ſint cuſtodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod et ipſa lex caviſſet, ſi praevidiſſet, et ſaepe crudele eſſet, inſiſtere legi, cum obſervantia ejus eſſe praejudiciabilis eccleſiae videtur, quoniam leges eâ intentione latae ſunt, ut proficiant, non ut noceant.*

§. 190.

Viſitandi dioeceſim.

De viſitationibus canonicis, quae certe inter praecipua epiſcoporum jura et officia connumerantur, decrevit concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. 1) Te-

neri unumquemque episcopum, dioecesim suam quotannis integram, sique id propter ejus amplitudinem fieri nequeat, intra biennium sive per se sive per delegatos visitare. 2) Visitationum istarum scopum esse debere, sanam doctrinam, bonosque mores tueri, errores corrigere, eaque omnia disponere. quae pro rerum personarumque adjunctis bono ecclesiae proficua episcopus judicaverit. 3) Non licere episcopo procurationis nomine, excepta habitatione victuque honesto, quidquam exigere. 4) A decretis episcopi in visitatione pro correctione cleri, et abusuum emendatione latis appellationem locum non habere, sess. 13. cap. 1. de reform.

*) Mandatum est decreto caes. reg. dd. 2. Nov. 1784. ne prius quam duobus ad summum tribus ante ipsam visitationem diebus parochi de eâ fiant certiores, neve in visitatione vel episcopus ipse, vel decanus vel quisquam ex comitatu praeter victum honestum viribus parochi accomodatum, sive a parocho, sive ex reditibus ecclesiae, vel minimum accipiat.

§. 191.

Cum beneficiorum collatio ab origine cum ipsâ ordinatione esset conjuncta, potestas autem ordinandi episcopo sit propria, dubium non est, quaecumque in dioecesi existunt beneficia ecclesiastica, ea regulariter ab episcopo esse conferenda, nisi quisquam jus praesentandi justo titulo sese adeptum esse, docere possit. Quisquis etiam a patrono legitimo ad beneficium praesentatur, ab episcopo exa- *Conferendi beneficia.*

minandus eſt, et approbandus. Neque quisquam jurisdictione eccleſiaſticà in dioeceſi, qualiscunque illa ſit, alià ratione potiri poteſt, quam ſi eam ab epiſcopo conſequatur. In ejusdem eſt poteſtate, beneficia erigere, et exſtinguere, item unire vel dividere. (§. 212.)

§. 192.

Adminiſtrandi bona eccleſiaſtica.

Bona eccleſiaſtica proprie ſunt in dominio eccleſiae, hoc eſt populi Chriſtiani, in cujus uſum ac utilitatem a piis fundatoribus collata ſunt. Cum igitur epiſcopus eccleſiae praeſit, eamque repraeſentet, ſequitur, bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem omni jure ad eundem pertinere. Et epiſcopi quidem a primis jam eccleſiae ſeculis bona eccleſiae ſeu ipſi, ſeu per oeconomos adminiſtrabant, eorumque reditus ad ſuſtentationem cleri, ac pauperum, et fabricam eccleſiae impendebant. Can. Apoſt. 31. conc. Antioch. can. 25. conc. Gangrenſ. can. 7. conc. Chalced. can. 26. Quin et poſtquam ſucceſſu temporis eccleſiae ſingulae in dioeceſi ſitae, quae antehac ab eccleſia cathedrali omnes ſuſtentabantur, propriis ſibi bonis uti, eaque a clericis ibidem conſtitutis adminiſtrari coepiſſent, epiſcopo tamen poteſtas ſupremam adminiſtrationis curam gerendi ſalva ac integra permanſit.

*) Secundum leges patrias poteſtas quidem civilis vi juris advocatiae bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem moderatur; jubentur tamen collegia regiminis provinciarum audire ſententiam epiſcopi in cauſſis omnibus, quae patrimonia

ecclesiarum respiciunt. Decret. dd. 23. Febr. 1793. Porro quamvis administratio fundi religionis episcopis commissa non sit, iisdem tamen conceditur, ut rationes inspiciant, utque ipsis consignatio pensionum ac salariorum, quae inde persolvuntur, pro notitiâ communicetur. 17. Mart. 1791.

§. 193.

Jura status et dignitatis episcopalis.

Jura status et dignitatis elucent ex eminentiori in hierarchià loco, quem episcopi occupant; ideo in conventibus ecclesiasticis solio seu throno utuntur, variisque venerationis signis condecorantur; dein ex appellationibus honorificis, dicebantur enim olim pontifices maximi papae, summi sacerdotes, vicarii Christi. Bingham orig. eccl. volum. 1. lib. 2. cap. 2. etc. Denique ex usu mitrae, baculi, *) annuli, ac crucis pectoralis.

*) Praesente episcopo dioecesano aliis praelatis uti baculo, ceu signo jurisdictionis, non licet.

§. 194.

Officia episcoporum.

Jura episcoporum, quae commemoravimus, simul officiorum loco sunt habenda, quippe quae iisdem non privati commodi caussa, sed in bonum ecclesiae sunt collata. Quapropter tenentur episcopi ad residentiam, eamque ut ajunt laboriosam, quae nimirum cum perfectà officiorum expletione sit conjuncta. Quem in finem decrevit concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. sess. 25. cap. 1. de reform. non licere unquam episcopis a suà dioecesi abesse, nisi ad summum

tres menſes, dum juſta cauſſa adſit, populusque tempore abſentiae damnum non ſentiat. (§. 178.)

§. 195.

De presbyterio, et ſynodis dioeceſanis.

Ea eſt mens, is ſpiritus Evangelii, ut eccleſiae paſtores in uſu eccleſiaſticae poteſtatis ab omni dominandi cupiditate longe abſint. Quamobrem in antiquà eccleſià per canones erat interdictum epiſcopis quidquam agere, quod eſſet majoris momenti, quin presbyterium ſuum in conſilium adhiberent. Eundem in finem ſynodi quoque dioeceſanae *) invaluerunt, quas inter et presbyteria id diſcrimen intereſt, quod haec nonniſi clero civitatis conſtarent, ad illas autem totius dioeceſeos clerici vocarentur. Et illae quidem ex praeſcripto concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. ſingulis annis celebrandae forent, ſed hodiernis temporibus fere in deſuetudinem abierunt, in earumque locum capitula cathedralia et conſiſtoria epiſcopalia quodammodo ſucceſſerunt.

*) Exſtat de modo celebrandi concilia dioeceſana opus celebre Benedicti XIV. de ſynod. dioeceſ. lib. tredecim.

§. 196.

Epiſcoporum qualitates.

Quo excellentiora ſunt jura epiſcoporum, atque officia, eo majores quoque dotes, virtutesque deſiderantur in iis, qui ad dignitatem epiſcopalem ſunt evehendi. Recenſentur illae in epiſtolis ſancti Pauli ad Timo-

theum et ad Titum. Concilium vero Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 2. et ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. ſpeciatim requirit, ut ad epiſcopatum aſſumendi, a) ſint legitimis natalibus orti, b) aetatis triginta annorum, c) probis moribus praediti, d) in ſacro ordine antea ſaltem ſex menſium ſpatio conſtituti, e) gradu magiſterii, vel doctoratus, aut licentiatus in ſacra theologia vel jure canonico inſigniti, aut certe publico alicujus academiae teſtimonio ad alios docendos idonei judicati, f) ut denique de his omnibus accuratiſſima fiat inquiſitio, ſervata forma legitima, ac deſuper inſtrumentum publicum conficiatur.

Articulus ſecundus.

De adjutoribus et vicariis epiſcoporum.

§. 197.

Diverſa illorum genera.

Adjutoribus et vicariis epiſcoporum, qui vel functiones liturgicas, vel epiſcopalem jurisdictionem illorum nomine exercent, adnumerandi ſunt: 1) epiſcopi titulares, 2) chorepiſcopi, 3) coadjutores epiſcoporum, 4) archipresbyteri, 5) decani rurales, 6) archidiaconi, 7) officiales et vicarii generales, 8) conſiſtoria epiſcopalia, Et aliorum quidem munus cum ipſo, quod tenent, beneficio eccleſiaſtico eſt conjunctum, aliorum vero perſonae inhaeret ita, ut ab epiſcopo ad

arbitrium, cui libet, conferatur; illi vicarii nati, hi dati vocantur.

§. 198.

Episcopi titulares.

Origo episcoporum titularium, seu in partibus, quod est verosimillimum, ab illo tempore derivatur, quo in provinciis Orientis, postquam Christiani nominis hostibus ereptae essent, latini ritus episcopi collocabantur; siquidem ad eas sedes episcopales, etiam provinciis illis in barbarorum denuo potestatem redactis, illaque recuperandi spe modica relicta, non interrupta serie ad nostra usque tempora nominati sunt a sede apostolica episcopi et consecrati. Hi igitur, cum vere episcopalis ordinis per consecrationem fiant participes, propriis autem careant ecclesiis, omnium maxime idonei esse videbantur, qui episcopos in peragendis ordinis episcopalis functionibus adjuvarent. Unde vicarii in pontificalibus, seu suffraganei nuncupantur: praesentantur ab episcopis, quibus eorum adjutorio opus est, et a sede Romana confirmantur, suntque veri nominis episcopi, quibus tamen juribus illis episcopalibus, quae ad dioecesim particularem pertinent, (§. 181.) non aliter quam ex delegatione episcopi ordinarii uti licet. Conc. Trident. sess. 14. cap. 2. de reform. *)

*) Ab episcopis hisce in partibus distinguuntur in Hungaria episcopi titulares, qui adhucdum a regia majestate pro illis ecclesiis nominantur, quae cum olim partem regni constituissent, deinceps in manus Turcarum devenerunt. Epi-

ſcopi hi locum ac jus ſuffragii in comitiis ac tribunalibus aeque retinent, ac dum reſidebant.

§. 199.

Chorepiſcopi priſtini temporis.

De Chorepiſcopis ſeu epiſcopis ruri probabilior eſt opinio eorum, qui ſentiunt, illos non fuiſſe epiſcopos vi muneris, ſed accidiſſe ſolum ſaepius data occaſione, ut qui aliquam ob cauſſam ſede ſua pulſi eſſent epiſcopi, ab aliis epiſcopis in partem adminiſtrandae eccleſiae, impoſito chorepiſcopi munere, admitterentur. De illis jam ſeculo quarto in nonnullis conciliis fit mentio. Illorum erat, parochiarum ruralium, clerique ruralis vicario epiſcopi nomine curam gerere. Cum autem auctoritas eorum paulatim excreſcens epiſcopis ipſis gravis eſſe coepiſſet, primum variorum conciliorum decretis coerciti, dein ſeculo circiter decimo penitus ſunt abrogati. *)

*) Sub idem tamen tempus in noſtris adhuc regionibus fuiſſe chorepiſcopos, apparet ex epiſtola Leonis VII. pontificis ad Gerardum epiſcopum Laureacenſem.

§. 200.

Coadjutores epiſcoporum.

Coadjutor epiſcopi is dicitur, qui eidem, ob infirmitatem, ſenium, aliamve cauſſam inhabili, in exſequendo munere epiſcopali ſocius adjungitur, idque vel cum, vel ſine jure ſuccedendi, inde coadjutor vel perpetuus, vel temporalis dictus. (§. 135.) Hodiernis temporibus coadjutores ejusmodi

ut plurimum nonnisi successionis caussa constituuntur, ab iisque eliguntur, vel nominantur, qui et episcopum eligendi vel nominandi jus habent: a sede vero pontificià praevià caussae cognitione confirmantur. Conc. Trid. sess. 25. cap. 7. de reform. Coadjutores autem temporarii ab ipsis episcopis consentiente capitulo assumuntur, aut si episcopus sit mentis impos, a capitulo aut minimum duabus ipsius partibus eliguntur, cap. un. de cleric. aegrot. in 6.

§. 201.

Eorundem jura.

Coadjutorum jura diversa sunt, prout vel in subsidium episcopi, vel solius successionis caussa, vel utrumque in finem sunt constituti. Quodsi ad id assumtus est coadjutor, ut episcopum plus vel minus inhabilem in explendo munere adjuvet, tum auctoritas ejusdem ad ea omnia pertinet, quibus vel praestandis episcopus ipse impar est, vel quae ab episcopo suà sponte ipsi delegantur, tumque etiam ex proventibus episcopalibus pro dignitate, et negotiorum amplitudine est alendus. Sin autem solius successionis caussa sit constitutus, potestatis episcopalis quidquam vivo episcopo adtentare nequit; sede vero episcopali vacante jus habet, illam confestim occupandi. Itaque in statuendis coadjutorum juribus caussae seu scopi, cur sint constituti, dein etiam tenoris litterarum apostolicarum ratio erit habenda.

§. 202.

Archipresbyteri urbis.

Archipresbyteri duplicis ſunt generis, alii urbicarii, eccleſiae cathedrali inſervientes alii, qui ruri degunt, rurales. Munus archipresbyteri urbicarii olim pertinebat ad presbyterum in eccleſiâ cathedrali vel ordinationis antiquitate, vel aliâ ratione inter ceteros primum, Illius erat, epiſcopi abſentis vel alias impediti nomine miſſarum ſolemnia celebrare, aliasque functiones ſacras peragere, praeſertim publice poenitentium curam gerere mores miniſteriumque cleri civitatis obſervare. Hodiernis vero moribus munia haec archipresbyteri urbicarii ut plurimum in eccleſiae cathedralis decanum ſunt translata.

§. 203.

Archipresbyteri rurales.

Archipresbyteri rurales in chorepiſcoporum locum videntur ſucceſſiſſe. Ad illos olim pertinebat, quarumdam in circuitu parochiarum ruralium curam gerere, ibique baptismi et poenitentiae potiſſimum ſacramenta epiſcopi nomine adminiſtrare, et moribus cleri invigilare. Eccleſiae, quibuscum archipresbyteri munus erat conjunctum, archipresbyterales, plebanae, et baptismales etiam, quod in iis ſolis ſacramentum baptismi conferri ſolitum eſſet: vocabantur. *) Iidem decanorum ruralium nomine veniunt cap. 7. §. 2. de offic. archidiac., regionesque eorum curae concreditae decaniae ſeu decanatus dictae ſunt. Quibusdam tamen in provinciis hodiedum archipresbyter a decano rurali diſtinguitur, prioremque prae iſto locum tenet.

*) Inde nomen *decani christianitatis*, in Gallia, et Belgio usitatum, ortum habet. Inde etiam evenit, ut in nostris quoque regionibus nonnullae ecclesiae hodiedum *baptismales*, Taufkirchen, vocari soleant.

§. 204.

Decani rurales.

Decani igitur rurales cum archipresbyteris ruralibus ferme coincidunt, ab iisque in eo potissimum differunt, quod decani munus personae, munus archipresbyteri ecclesiae adhaereat. Eorum primum seculo nono mentio occurrit in capitulari Caroli Calvi, et in canone quodam, a Gratiano dist. 50, can. 64, concilio Agdensi adscripto. Munus decani confertur ab episcopo, et adimitur; in eoque situm est, ut per regionem adsignatam cleri mores et in explendo munere pastorali solertiam observet, de rebus, quae sunt gravioris momenti, ad episcopum referat, negotiaque quaecunque ecclesiastica ab episcopo demandata pertractet, cap. 4. de offic. archipresb. Itaque decanorum auctoritas e tenore litterarum episcopalium, quibus ad gerenda negotia instituuntur, et ex observantiâ cujusque dioecesis est dimetienda. *)

*) Vid. de hac materiâ dissertatiuncula in der theologischen prakt. Monathschrift 2. Jahrg. 3. Band.

§. 205.

Jura decanorum.

Jura, muniaque decanorum ruralium potissimum ad sequentia capita redeunt: 1)

Cleri mores, ut dictum eſt, et in explendo munere ſolertiam obſervant, quin tamen illorum auctoritas ſalutaris admonitionis et inſtructionis fines regulariter transgrediatur. 2) Viſitant parochias decanatus vel ex ordine certis temporibus, vel peculiari datâ occaſione, et viſitationes quidem conſuetae quotannis praeſcriptae ſunt decanis decreto caeſ. reg. dd. 20. Dec. 1803. 3) Olim etiam conventus cleri publicos ſeu capitula ruralia ita dicta celebrabant, quae tamen hodie in noſtris regionibus fere extra uſum ſunt. 4) Parochos neoconſtitutos ſolemni ceremoniâ, quae vulgari inſtallationis nomine venit, in eccleſiam populique conventum introducunt, *) omniumque generatim animarum curatorum locum ſuum adeuntium litteras jurisdictionis ſibi exhibendas inſpiciunt. 5) Ad eosdem pertinet, parochos intra fines decanatus ſepelire. 6) De cauſſis majoribus ad epiſcopum referunt, ſententiamque ſuam proponunt, ſaepe etiam cauſſarum cognitiones ipſis demandatas ſuſcipiunt, relationes de negotiis quibusdam a parochis omnibus exigi ſolitas et colligunt, et epiſcopo porrigunt, decreta quoque recenter edita clero promulgant. 7) Denique ſiquae res moram non patiantur, modo, ut dici ſolet, proviſorio ea ſtatuunt, quae, donec ab epiſcopo quidquam decerni poſſit, neceſſaria eſſe judicaverint. **)

*) Taxa pro hujusmodi introductione ſolvenda unus aureus eſt ex decreto caeſ. reg. dd. 2. Nov. 1784.

**) Ex praescripto legis novissimae decani quoque scholis elementariis sub nomine inspectorum districtualium (Distriktsaufseher) praesunt, eamque ob rem ab episcopo constituti a regimine provinciae confirmantur. Eorum officia hac in parte continentur in opusculo, cui titulus, Politische Verfassung der deutschen Schulen 1806. Cumque scholas omnes annis singulis visitare teneantur, ad sustinendos sumtus itineris concessum ipsis est decreto dd. 7. April 1806, ut ex patrimonio cujusque ecclesiae, cui animarum cura annexa est, quotannis quinque florenorum summam recipiant, quae ab advocatis ecclesiarum ad consistoria episcopalia transmittatur, ab his vero decanis tum demum tribuatur, cum illi peractae visitationis relationem exhibuerint.

§. 206.

Archidiaconi.

Quemadmodum primus inter presbyteros, qui in peragendis functionibus liturgicis episcopi vices gerere consueverat, archipresbyter dictus est, (§. 205.) ita primus quoque diaconorum, qui in temporalibus potissimum ac judiciariis negotiis episcopum juverat, archidiaconi nomen obtinuit. Auctoritas archidiaconorum paulatim tanta cepit incrementa, ut non solum priorem prae archipresbyteris sibi locum vindicarent, sed ipsis jam episcopis graves fierent. Quapropter subsequentibus temporibus magis magisque imminuta est adeo, ut hodie multis sane in ecclesiis et speciatim in terris Austriacis vix nomen archidiaconorum sit reliquum. Praeter archidiaconum in ecclesia cathedrali erant quoque archidiaconi rurales, qui jurisdictionem fori externi in parte dioeceseos, salva appellatione ad episcopum, exercebant. Haec porro dignitas

archidiaconalis ut plurimum praepofituris ecclefiarum cathedralium et collegiatarum annexa erat, archidiaconus vero cathedralis ecclefiae archidiaconi majoris nomine a reliquis difcernebatur.

§. 207.

Vicarii epifcopales.

Succefferunt in locum archidiaconorum vicarii epifcopales, tum in urbe pro univerfà dioecefi, tum ruri conftituti, illi generales, hi foranei dicti. Qui funt prioris generis, vicarii in fpiritualibus, quo nomine a vicariis in pontificalibus (§. 198.) difcernuntur, fique jurisdictionem, quam vocant, contentiofam exercent, officiales dici folent. (v. Pehem l. c. §. 461.) Pendeut illi prorfus ab arbitrio epifcopi, ejusque folum vices gerunt; unde et poteftas eorum ceffat, epifcopo defuncto vel ab officio difcedente. *) Vicarii foranei jurisdictionem in cauffis potiffimum levioribus exercebant, hodie vero a decanis ruralibus vix difcrepant.

*) In epifcopatibus Auftriacis neoerectis dignitas vicarii generalis in praebendam erecta erat, quae tamen poftea rurfus fublata eft. Tenentur vero epifcopi vicarios generales ab ipfis electos aulae indicare, a qua approbentur, decr. dd. 22. Jun. 1797. Legibus Hungariae praeterea cautum eft, ne quis, qui indigena non fit, in vicarium epifcopalem adfumatur.

§. 208.

Jura vicarii generalis.

Poteftas vicarii generalis ex fpeciali conceffione epifcopi dimetienda eft, a cu-

jus pendet arbitrio, eidem plus, minusve potestatis conferre. Ceterum de jure communi vi officii omnia praestare potest, quae ad ordinariam pertinent episcopi jurisdictionem, quamdiu ad ea neque e canonum praescriptu aut de consuetudine, neque ex voluntate episcopi expressis verbis declaratâ, speciale requiritur mandatum; unde generatim caussae omnes majores exceptae esse censentur. Cap. 1. 2. 3. de offic. vicar. in 6. Potestas igitur vicarii generalis nonnisi improprie ordinaria dici potest, quatènus scilicet ex ordine vi officii ad omnia negotia non excepta pertinet, de reliquo tota est vicaria ac delegata.

§. 209.

Consistoria episcopalia.

Nostris temporibus potestas officiumque vicarii generalis exerceri solet a collegio peculiari, quod consistorium episcopale, quibusdam in locis vicariatus, officium, officialatus, consilium ecclesiasticum vocatur. Constat illud, nostris in dioecesibus, canonicis ecclesiae cathedralis, aliisque consiliariis ab episcopo assumptis. Absente episcopo vicarius generalis praesidet, suffragia colligit, et si haec paria sint, suo judicio rem definit. Ceterum episcopale consistorium non nisi consilium efficit et tribunal episcopi, ejusque auctoritas ab arbitrio episcopi pendet. Unde consequitur, episcopum neutiquam teneri ea semper sequi, quae a consistorio per vota majora decernuntur, in ejusque esse potestate, auctoritatem consistorii, prout libet, circumscribere, sibique negotia quaedam speciatim reservare.

*) Jus episcoporum, notarios proprios, si quibus pro negotiis ad forum episcopale pertinentibus indigeant, creandi, speciali decreto dd. 1. Jan. 1782 confirmatum est.

Caput tertium.

De capitulis ecclesiarum cathedralium.

§. 210.

A primordiis ecclesiae cuivis episcopo suus erat senatus ecclesiasticus, e presbyteris et diaconis civitatis conflatus, et presbyterii nomine notus. (§. 105, 195.) Seculo quarto Eusebius Vercellensis, et Augustinus Hyponensis suae civitatis clericos in communis vitae societatem congregare coeperunt. Deinceps Chrodegangus Metensis episcopus seculo octavo instituti canonicorum auctor fuit, eique certam quoque regulam ad exemplum monasteriorum praescripsit. Institutum hoc paulatim a pluribus adoptatum est ecclesiis, dein a concilio Aquisgranensi an: 516. receptum, denique vix non in omnibus ecclesiis cathedralibus, quin et in collegiatis introductum. Collegium canonicorum Capitulum vocabatur. Verum a seculo undecimo multis in locis ab hoc instituto recessum est; canonici etenim abjectà vitae communione, bonisque suis a bonis episcopi sejunctis, corpus ab episcopo sepa- Origo.

ratum constituere coeperunt. Quae vero vitae communionem retinuerunt ecclesiae, eae maximam partem, introductis votis religiosis, in religiosas, ut vocant, communitates abierunt; unde duplex genus canonicorum, secularium, et regularium, ortum est. Collegium igitur canonicorum ecclesiae cathedralis, ut corpus proprium consideratum, capitulum ecclesiae cathedralis constituit. *)

*) Canonicorum nomen primum commune clericis omnibus, qui canoni seu matriculae ecclesiae adscripti, ab ea sustentationem, quasi canonem annuum, perceperunt, deinceps ad eos solos restrictum est, qui juxta certam vivendi regulam, seu canonem, vitae communionem observarent. Nomen vero capituli a loco, ubi monachis convenientibus capitulum regulae monasticae singulis diebus praelegi consueverat, profectum esse videtur. Canonici medio aevo domini dicebantur, quod nomen hodiedum canonicis regularibus familiare est. Ecclesia cathedralis domus per eminentiam (Dom,) vocari solet, unde nomen germanicum (Domherr, Domkapitel) ortum est.

§. 211.

Jura capitulorum.

Insignia sunt jura, quae capitulis ecclesiarium cathedralium paulatim accesserunt, eaque vel ad administrationem dioeceseos pertinent, vel capitulo, quatenus corpus peculiare constituit, sunt propria. Illa vero capitulo vel sede episcopali plenà, vel eà vacante, aut impeditâ competunt. Sedes plena dicitur, si de eà canonica facta sit provisio; vacans, si praelatus praeesse desierit; impedita, si ultra tres menses vacaverit. *)

*) Quae hic de capitulis ecclesiarum cathedralium dicuntur, ea in capitulis etiam ecclesiarum collegiatarum et regularium pro re natâ locum habent. In his quoque et praelatus certis in casibus consilium aut consensum capituli tenetur requirere, et capitulum sede vacante in potestatem praelati succedit, ejusque successorem eligendi jus habet.

§. 212.

Sede plena, quando episcopo opus sit consensu capituli.

Sede plenâ capitulum episcopi senatum constituit, teneturque episcopus ex praescriptu canonum in negotiis majoris momenti jam consilium capituli, jam consensum requirere, eo discrimine, ut defectus consensus, ubi eo opus est, negotium reddat irritum, consilium vero liberam episcopo relinquat potestatem, illud vel sequendi, vel repudiandi. Consensu vero capituli episcopo opus est: 1) si de juribus et obligationibus episcopatus, vel de immutando statu ecclesiae agatur, ut in alienationibus et oppignorationibus bonorum ecclesiasticorum, item in unione aut suppressione beneficiorum; 2) si negotium ejus generis sit, quod speciali capituli, ut corporis peculiaris, emolumentum respiciat, verbi gratia, cum numerus canonicorum aut dignitatum vel augendus est vel minuendus. Quoties vero consensu capituli opus est episcopo, illum capitulariter, id est, capitulo legitime congregato, et concluso capitulari rite formato, praestari oportet.

§. 213.

Quando consilio.

In reliquis negotiis gravioribus episcopo requirendum est consilium capituli, quin

tamen illud ſequi teneatur. Cum autem epiſcopi hodie peculiarem habeant ſenatum, conſiſtorium epiſcopale dictum, noſtrisque moribus canonici eccleſiae cathedralis ſenatus hujus membra eſſe ſoleant, (§. 209.) factum eſt, ut auctoritas capitulorum hac in re ad conſiſtoria epiſcopalia tranſiret. Decrevit tamen concilium Tridentinum, ut epiſcopus quibusdam in negotiis, ut in publicatione indulgentiarum et eleemoſynae collectione, ſeſſ. 21. cap. 9. de reform. item in erigendis ſeminariis epiſcopalibus, ſeſſ. 23. cap. 18. de reform. duos ſaltem de capitulo in conſilium adhibere teneatur.

§. 214.

Sede vacante.

Quodſi ſedes vacat: 1) capitulum jure gaudet eligendi ſucceſſorem; quod in antiquà quidem eccleſià ad clerum univerſum populumque pertinebat, paulatim vero ſoli capitulo cathedrali vindicatum eſt. In terris tamen Auſtriacis epiſcopi omnes, excepto archiepiſcopo Olomucenſi, cujus eligendi jus eſt penes Capitulum, a ſummo Imperante nominantur. 2) Capitulum ſuccedit in jurisdictionem epiſcopalem, eamque, donec alius conſtituatur epiſcopus, modo proviſorio exercet, quatenus id ad regendam interea diaeceſim, conſervandumque eccleſiae ſtatum eſt neceſſarium. Hunc in finem tenetur ex praeſcripto concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 16. de reform. intra octo dies conſtituere vicarium generalem, qui ſit doctor aut licentiatus juris canonici, aut alias idoneus, item unum pluresve oeconomos, aut ſi ma-

lit, vicarium generalem ab epiſcopo relictum confirmare; ſi ſecus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. (§. 178.)

§. 215.

Poteſtas capituli in regimine proviſorio dioeceſeos.

Poteſtas capituli in regimine proviſorio dioeceſeos 1) non ſe extendit ad functiones ordinis epiſcopalis. Poteſt tamen capitulum alieno epiſcopo uſum pontificalium in dioeceſi permittere; litteras autem dare dimiſſorias ad recipiendos ordines infra annum a die vacationis, niſi beneficio arctatis, id eſt, neceſſitate ordines recipiendi ob beneficium obtentum conſtrictis, concilium Tridentinum vetat ſeſſ. 7. cap. 10. de reform. 2) Neque ſe extendit haec poteſtas ad jura perſonalia, ſeu perſonae epiſcopi inhaerentia, quibus tamen jura epiſcoporum originaria, iisdem nonniſi per falſas decretales ademta, deinceps vero tanquam delegatis ſedis apoſtolicae rurſus conceſſa, accenſeri nequeunt. 3) Neque ad eas functiones, quibus ſtatus vacantis eccleſiae immutaretur, aut in periculum adduceretur; unde nec bona eccleſiae alienare aut onerare poteſt capitulum, nec de bonis juribusque eccleſiae vacantis litem ſuſcipere. 4) Denique capitulum neque ea poteſt, quae uſque ad adventum futuri epiſcopi moram patiuntur, quo pertinet collatio beneficiorum eorum, quae alias unice ab epiſcopo conferuntur, item unio aut ſuppreſſio beneficiorum extra caſum inevitabilis neceſſitatis.

§. 216.

Jura capituli ſede impeditâ.

Quae de capitulorum poteſtate ſede vacante dicta ſunt, eadem etiam obtinent ſede impedita, niſi quod tum poteſtas haec ad ea quoque porrigatur negotia, quae ſine detrimento eccleſiae differri nequeunt, uti eſt collatio beneficiorum, cap. un. ne ſed vac. in 6,

§. 217.

Jura capituli, qua peculiaris collegii.

Quatenus capitulum corpus peculiare ab epiſcopo ſeparatum conſtituit, eatenus, 1) gaudet jure, inſtituendi conventus ad tractanda negotia ad ſe pertinentia, quin ad id opus ſit conſenſu epiſcopi. Ad conventus capitulares vocandi ſunt omnes canonici, qui in loco adſunt; concluſa vero ex ſententiâ majoris et ſanioris partis formantur; major autem pars pro ſaniori etiam habetur, niſi contrarium liquido probari poſſit. 2) Poteſt condere ſtatuta canonicis, quae tamen ut ſucceſſores obligent, ab epiſcopo, et juxta leges noſtras a ſummo etiam Imperante ſunt confirmanda. 3) Proprium habet ſigillum, proprium ſyndicum, et plerumque bona communia. 4) Ceterum ſubeſt jurisdictioni epiſcopi, neque ulla hac in re exemtio juxta leges noſtras locum habet. *)

*) In Hungariâ capitula cathedralia gaudent etiam jure ſuffragii in comitiis. Eadem plerumque accenſentur *locis credibilibus*, id eſt, corporibus, quibus jus eſt inſtrumenta ſubditorum ſigillo ſuo adpoſito, publicam fidem faciente, confirmandi.

Item bona defuncti epiſcopi mobilia cum officiali camerae ſigillo ſuo obſignant, inventariumque conficiunt.

§. 218.

Canonici inter ſe differunt tum honore, tum officio, et jurisdictione; praerogativa honoris ſine ullâ officii adminiſtratione aut jurisdictione perſonatus, adminiſtratio officii, cui neque ulla honoris praerogativa, neque jurisdictio adhaeret, officium ſimpliciter, praerogativa vero honoris cum jurisdictione quadam pro foro externo conjuncta dignitas vocatur. Hodie tamen plerumque omnes, quibus ulla convenit prae reliquis praerogativa, dignitarii dici ſolent, quales ſunt praepoſitus, decanus, ſcholaſticus, cantor, cuſtos, etc. *) Vult praeterea concilium Tridentinum ſeſſ. 5. cap. 1. et ſeſſ. 24. cap. 8. de reform., ut in quovis capitulo cathedrali adſit praebenda una Theologalis, altera Poenitentiarii. **) Diverſi honoris gradus in capitulo.

*) Ex lege noviſſimâ, qua ſcholis elementariis norma praeſcribitur, canonicus ſcholaſticus, aut ſi is alio jam officio fungatur, alius ex canonicis ſummus eſt praefectus (Oberauffeher) et in conſiſtorio epiſcopali referens in rebus ſcholaſticis.

**) Hic loci commemorandi etiam ſunt *canonici titulares*, quales ſecundum leges noſtras in capitulis metropolitanis octo, in cathedralibus ſex numero eſſe poſſunt. Titulus hic cum jure deferendi ſignum capituli iis ſolum confertur, qui decem ad minimum annis qua parochi vel capellani locales de curâ animarum bene meriti

fuerint. Quos eo honore dignos judicaverit episcopus, caesareae majestati praesentat 8. Dec, 1788.

§. 219.

Jura decani.

Dignitates capitulorum hodierno more fere solâ honoris praerogativâ eminent. *) Decani tamen officium est, in conventibus capitularibus res gerendas proponere, deliberationum ordinem regere, ex sententiâ partis majoris decreta formare, capituli nomine instrumenta capitularia expedire. Ejusdem est invigilare moribus canonicorum, et observationi statutorum, qua tamen in re potestas ipsius absque ullâ jurisdictione proprie tali intra admonitionis et correctionis fraternae limites continetur.

*) Dignitarii capitulorum statibus provincialibus cujusvis provinciae adnumerantur ex decreto caesareo dd. 5. Febr. 1787.

§. 220.

Officia canonicorum.

Officia canonicorum eo redeunt, 1) ut legem residentiae observent, neve ultra tres menses per annum absint a loco canonicatus, praeterquam si id fieret in ministerio ecclesiae; ita cautum est a concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. de reform., idemque concilium sess. 21. cap. de reform. decrevit; ut tertia pars fructuum ad distributiones quotidianas impendatur. 2) Ut officio divino diligenter intersint, horas canonicas in choro recitent, episcopo in celebrandis sacris adsistant, conc. Trid. sess.

24. câp. 12. de reform. 3) Ut generatim vocati ab epiſcopo, cujus ſunt conſiliarii et adjutores, negotiis quibuscunque eccleſiaſticis operam navent.

§. 221.

Qualitates canonicorum.

Statuit concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 12. de reform., ut canonici eccleſiarum cathedralium votum in capitulo non habeant, niſi ſubdiaconatus ordine initiati. Idem vult, ut dimidia ſaltem pars capituli conſtet presbyteris, iisque gradu quodam ex theologiâ aut jure canonico inſignitis. Canonicatum adeuntes profeſſionem fidei juxta formulam praeſcriptam emittere tenentur. Conſtituuntur vero canonici vel collatione epiſcopi, vel electione capituli, vel nominatione ſummi imperantis vel denique praeſentatione eorum, quibus jus patronatus competit. *)

*) In canonicum eccleſiae cathedralis aſſumendus non eſt, niſi qui decem annis ad minimum curae animarum operam dedit, eoque in officio ſummâ cum laude eſt verſatus. Decr. caeſ. dd. 22. Oct. 1783. Eodem modo canonicatuum capaces ſunt profeſſores theologiae e clero ſeculari in Univerſitatibus aut Lyceis caeſ. reg. conſtituti, decem annis munere ſuo laudabiliter functi, 11. Apr. 1804. Quibus etiam directores ſeminariorum epiſcopalium aequiparantur, 16. Aug. 1805. Nimius porro canonicorum numerus reſtrictus eſt ita, ut eccleſiae metropolitanae duodecim, cathedrales octo ad ſummum canonicis conſtent, dignitariis etiam in hunc numerum computatis, 2. Febr. 1787. Illa vero conſuetudo, quâ canonici munus ſuum ingreſſi primo anno fructibus groſ-

ſis carere, et convivium celebrare, vel ejus loco certam pecuniae ſummam ſolvere obſtringebantur, ubique ſublata eſt, 16. Aug. 1787. In Bohemiâ canonicatus capitulorum cathedralium propriis bonis inſtructorum ſolis regnicolis, iisve, qui incolatus jus legitime adepti ſint, conferri poſſunt. Immo et illi, qui ſunt ex ordine civium urbium privilegiatarum Bohemiae, jure incolatus indigent, ſi ad ejusmodi canonicatum promoveri velint, 14. Oct. 1713. 17. Jan. 1747.

Caput quartum.

De praelatis, qui non ſunt epiſcopi.

§. 222.

Qui praelatorum nomine veniant.

Praelati, quatenus ab epiſcopis diſtinguuntur, dicuntur ii, qui vel jurisdictione quaſi epiſcopali pro foro etiam externo, ſimulque uſu pontificalium gaudent, vel uſum pontificalium habent absque ullâ jurisdictione, vel denique jurisdictione illâ absque uſu pontificalium ſunt inſtructi. Jurisdictio vero quaſi epiſcopalis illa jura ſpecialia complectitur, quae cum alias ad epiſcoporum jurisdictionem pertineant, praelatis reſpectu eorum, qui illis ſubſunt, paulatim vel privilegio, vel conſuetudine, vel jure noviori decretalium acceſſerunt.

§. 223.

Primi generis praelati, qui et jurisdictionem quasi episcopalem, et usum pontificalium habent, sunt abbates monasteriorum, et praepositi ecclesiarum collegiatarum seu secularium seu regularium. Ad praelatos secundi generis usum pontificalium sine jurisdictione nactos pertinent dignitarii ecclesiarum cathedralium, (§. 219.) quamvis et his non in omnibus ecclesiis usus hic pontificalium sit concessus. Tertii generis, quibus jurisdictio quasi episcopalis sine usu pontificalium competit, sunt generales et provinciales religiosorum ordinum, quorum illi toti cuidam ordini, hi monasteriis provinciae praesunt. In terris vero Austriacis nexus monasteriorum cum generalibus extraneis excepto eo, qui ad suffragia solum et preces spectat, penitus sublatus est decreto dd. 24. Martii 1781. In locum generalium juxta constitutionem novissimam dd. 2. April. 1802, episcopi successerunt. Varia genera praelatorum.

§. 224.

Competunt praelatis variae honoris praerogativae: 1) Usum habent pontificalium. qui a seculo undecimo nonnullis speciali privilegio concessus, paulo post abbatibus, praepositisque omnibus obtigit. 2) Primi generis praelati post episcopos principem honoris locum tenent ita, ut canonicis etiam ecclesiae cathedralis singulis praecedant, universo vero capitulo ut corpori postponantur. Praerogativae honoris.

3) Dignitate quoque civili praefulgent, interque ſtatus provinciales claſſem peculiarem (Prälatenſtand) conſtituunt.

§. 225.

Jura. Jura praelatorum praecipua ſunt. 1) Abbates, praepoſiti, et generales ordinum vocantur ad concilia oecumenica. (§. 110.) 2) Qui habent uſum pontificalium, poſſunt pro ſuâ eccleſiâ benedicere vaſa ſacra, ſacras veſtes, campanas etc. pro aliis vero eccleſiis eas ſolum peragere benedictiones, in quibus non intercedit unctio, (decret. congregat. rituum dd. 27. Sept. 1659.) 3) Superiores religioſorum ordinum gaudent jurisdictione in religioſos ſibi ſubditos, vi cujus ſive per ſe ipſos, ſive per ſacerdotem ad id conſtitutum, ab ordinario tamen approbatum, eosdem in ſacramento poenitentiae abſolvunt. Item poteſtatem habent, 4) reſpectu illorum ſibi caſus quosdam, quorum numerum Clemens VIII. ad undecim reſtrinxit, reſervandi, *) 5) iisdem cenſuras canonicas infligendi, denique 6) ſi uſum pontificalium habent, profeſſis conferendi tonſuram et quatuor minores ordines.

*) Iſta Clementis VIII. bulla in Styria ex decreto dd. 29. Dec. 1786 nominatim expoſcebatur ad conſequendum placetum regium.

§. 226.

Quo modo ſint moderanda. Sunt tamen jura haec, quae jurisdictionem quaſi epiſcopalem conſtituunt, ita reſtrin-

genda, 1) ut praelatis nonnisi in religiosos sibi subditos, non etiam in laicos competant, nisi forte jurisdictionem ejusmodi in laicos concessione speciali, aut praescriptione immemoriali essent consecuti; 2) ut iisdem post sublatas exemtiones nonnisi cum debitâ subjectione erga episcopum dioecesanum, et sine ullo jurium episcopalium praejudicio utantur. *)

*) De juribus praelatorum respectu parochiarum ecclesiae suae incorporatarum suo loco in jure privato agetur.

§. 227.

Est praeterea de jure communi singulare praelatorum genus, eorum scilicet, qui vel intra dioecesim cujusdam episcopi certum sibi adsignatum territorium dioecesis instar habent, vel certo in territorio a dioecesi cujuscunque episcopi separato jurisdictionem quasi episcopalem tum in clericos, tum in laicos exercent, tam late patentem, ut omnem jurisdictionem episcopalem, exceptis iis, quae pertinent ad functiones ordinis, aut quae speciatim episcopo sunt reservata, comprehendat. Cum vero id genus praelatorum in terris Austriacis prorsus sit incognitum, supervacaneum foret, et ab instituto nostro alienum, de eodem plura disserere. Singulare genus praelatorum.

Caput quintum.

De parochis.

§. 228.

Parochorum origo.

Parochi quoad characterem ſacerdotalem inſtitutionis ſunt divinae. Teſtatur porro hiſtoria, primis jam ſeculis auctam in civitatibus fidelium multitudinem ſenſim in coetus minores fuiſſe diviſam, presbyterosque conſtitutos, qui illorum curam haberent. Quin et in pagis et vicis, in quibus Chriſtiana fides ſerius, ac in civitatibus radices egerat, reſtitutà eccleſiae pace ac libertate, paulatim templa erecta, coetusque eccleſiaſticos fundatos eſſe conſtat. Sub Conſtantino M. paganis etiam templa quam plurima ademta ſunt, et in Chriſtianorum uſus converſa. Succeſſu temporis principes et proceres capellas erigere coeperunt, quae deinceps in parochias ſunt commutatae. Saepe denique parochiae ampliores, ob excreſcentem fidelium numerum et locorum diſtantiam, in plures dividebantur.

§. 229.

Notio parochi

Adtributa, quae notionem parochi conficiunt, ſunt ſequentia: 1) ut habeat plebem propriam, cujus curam ſpiritualem gerat, certumque ſibi adſignatum territorium; 2) ut poteſtate proprià, quatenus haec poteſtati vicariae et delegatae opponitur, ad exercendam curam animarum potiatur, 3) ut ſubjectus ſit epiſcopo, a quo, cum is primus ac commu-

nis paſtor ſit totius dioeceſeos, parochos omnes inſtitui neceſſe eſt, ita ut idem jurisdictionem etiam parochorum, quoad exercitium, arctioribus limitibus circumſcribendi, bono eccleſiae id exigente, poteſtatem habeat. *)

*) Sunt quidem parochi adjutores epiſcopi in regimine totius dioeceſeos, (§. 100.) et eatenus ejusdem etiam quodammodo vicarii in regendâ eccleſiâ parochiali dici poſſunt; verum id non ſunt modo precario et revocabili, ſed vi officii et in perpetuum. Habent poteſtatem propriam, ordinariam, et ut ita dicam, per ſe ſubſiſtentem, quamvis in illius uſu epiſcopo ſint ſubjecti. Quare et epiſcopus exercitium jurium parochialium non prout lubet, poteſt limitare, ſed tum demum, cum id bonum eccleſiae poſtulat.

§. 230.

Jura parochorum — quoad administrationem ſacramentorum.

Jurisdictio parochialis 1) in ſe comprehendit jus, parochianis ſacramenta adminiſtrandi, exceptis ſacramentis confirmationis et ordinis. Et ea quidem erat priſtina eccleſiae diſciplina, ut nec ſacramenta extra parochiam propriam percipere, nec in alienis eccleſiis divino officio intereſſe cuiquam parochianorum liceret, cap. 2. de paroch. Noſtris vero temporibus parochis ſolum reſervata eſt a) adminiſtratio ſacramenti baptismi, unde et jus habendi fontis baptismalis eccleſiarum parochialium proprium eſt, b) diſpenſatio euchariſtiae tempore paſcali, uti et ſacri viatici pro infirmis, c) adminiſtratio ſacramenti poenitentiae, quatenus, niſi parochus veniam fecerit, parochiani omnes ſaltem ſemel per an-

num eidem confiteri tenentur; d) item extremae unctionis, e) jus affiftendi nuptiis, idque eo effectu, ut, fi defit parochus, matrimonium fit irritum; f) neque miffae facrificium celebrare, aut facra ulla peragere cuiquam alieno facerdoti aliter licet, quam obtenta a parocho loci facultate; g) vult etiam concilium Tridentinum, ut moneatur populus, ut frequenter ad fuas parochias faltem diebus dominicis et feftivis accedat, feff. 22. decret. de obferv. et evit. in celebr. miff. feff. 24. cap. 4. de reformat.

§. 231.

Quoad praedicationem verbi divini.

Porro 2) parochorum eft, praedicare parochianis verbum divinum; huc pertinet inftitutio chriftiana omnis tam publica quam privata, five in concionibus, five in catechefibus, et adultorum, et puerorum, in ecclefia, et in fcholis. Neque per ftationes ita dictas mendicantium, hoc in jure turbari poteft parochus; fiquid enim ii juris habent, quibusdam in ecclefiis certis temporibus praedicandi, id originetenus nonnifi precarium eft, eumque duntaxat in finem conceffum, ut parocho auxilium praeftarent, proinde ulli hac in re praefcriptioni locus effe nequit.

§. 232.

Quoad alias functiones facras.

3) Quasdam etiam functiones facras peragendi parochi jus privativum habent. Ii nimirum a) purificationis ritum adminiftrant

mulieribus poſt partum, b) benedicunt fontem baptismalem, cineres, palmas, cereos, carnes, easque omnes peragunt benedictiones, quae in miſſali et rituali Romano continentur; c) denunciant populo matrimonia contrahenda, dies feſtos, jejunia, indulgentias; d) praeſcriptas proceſſiones ſacras unà cum populo celebrant, e) defunctos in parochià ſepeliunt, eumque in finem proprium habent coemeterium parochiale.

§. 233.

Jura parochis a civitate conceſſa.

Competunt 4) parochis jura quaedam, quae iisdem conceſſione imperantis civilis acceſſerunt. In horum numero ſunt, a) adminiſtratio bonorum, quae pertinent ad eccleſias curae ipſorum concreditas, communicato tamen cum advocato eccleſiae laicali conſilio; b) moderatio rei ſcholaſticae in ſcholis elementariis parochiae, legitimaque poteſtas in ludimagiſtros; c) adminiſtratio inſtituti pauperum, d) generatim cura ac ſtudium promovendi inſtituta quaecunque in utilitatem publicam legibus civilibus introducta, populumque ad obſervationem legum adhortandi. e) Imprimis promulgationi legum civilium modo praeſcripto a magiſtratu faciendae adeſſe, populumque, ut ibidem diligenter compareat, admonere jubentur, 11. Oct. 1791. f) Iisdem prolium orbarum, quae orphanotrophii ſumtibus aliis alendae et educandae tradi ſolent, uti et illegitimarum, cura demandata eſt, 6. Febr. 1784. 17. Mart. 1791. 13. Mart. 1807. g) Item conſcrip-

tioni militari ſive per ſe, ſive per ludimagiſtros intereſſe debent, notitiasque, quibus opus eſt, ex libris parochialibus impertire, 25. Oct. 1804. Huc pertinet etiam jus baptizatos, matrimonio junctos, et mortuos inſcribendi, atque ea de re inſtrumenta publica expediendi. Quapropter matricula parochiarum documentis publicis accenſentur. (Allgemeine bürgerliche Gerichtsordnung §. 112.)

§. 234.

Jura ratione ſuſtentationis.

Denique 5) gaudent parochi jure, exigendi a parochianis honeſtam vitae ſuſtentationem, reditusque eum in finem adſignatos percipiendi, quorum in numerum referuntur, a) jura ſtolae lege publica (Stolordnung) determinata, b) decimae parochiales ita quidem, ut reſpectu illarum parochus in dubio pro ſe praeſumtionem habeat in jure fundatam, c) oblationes in eccleſià parochiali; aut alibi intra parochiae fines, factae, quae regulariter, niſi lege, vel conſuetudine, vel expreſſà voluntate offerentium in alium ſcopum ſint deſtinatae, parocho debentur. *)

*) De juribus ſtolae, decimis, et oblationibus plura dicendi locus erit in jure privato §. 232 — 247.

§. 235.

Jura parochorum quomodo limitentur?

Parochorum poteſtas variis modis limitatur. 1) Non licet parochis in alienà parochià, aut reſpectu alienorum parochianorum

ſine expreſſâ aut tacitâ parochi ordinarii conceſſione muniis parochialibus fungi. 2) Jurisdictio parochorum foro interno continetur, ad externum non extenditur, unde neque lites decidendi, neque cenſuras infligendi, neque in canonibus eccleſiaſticis diſpenſandi facultatem habent, niſi quantum delegatione epiſcopi vel conſuetudine eis permiſſum eſt, certis in caſibus v. g. in lege abſtinentiae ab operibus ſervilibus feſtis diebus aliquid relaxare. 3) Generatim in exſequendo munere parochiali mandata epiſcopi, legesque ſummi imperantis ad amuſſim ſervare tenentur.

§. 236.

Officio parochorum.

T e n e t u r parochus intra fines parochiae ſuae reſidere, ibique in explendo munere paſtorali ſedulo laborare, Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. Neque officio ſuo ſatisfacit, committendo functiones paſtorales ſociis vicariisque ſibi aſſumtis, quamdiu ipſe obeundo ſacro miniſterio eſt idoneus, cap. 30. de praebend. Idem tenetur, tot ſibi aſſumere ſacri muneris ſocios, ſeu cooperatores, quot ad adminiſtrandam animarum curam pro diverſitate locorum, populique neceſſitate ſint neceſſarii, Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. de reform. Parochis imperitis aut alias minus aptis coadjutores aut vicarios, adſignatâ eisdem pro ſuſtentatione certâ parte fructuum, ab epiſcopis eſſe deputandos, eos vero, qui turpiter et ſcandaloſe vivunt, poſtquam praemoniti fuerint, caſtigandos, ſique non reſipiſcant, beneficio privandos, ſtatuit concilium Triden-

tinum sess. 21. cap. 6. de reform. Est quoque parochorum libros pro inscribendis baptizatis, matrimonio junctis, mortuis, conficere, ex iisque instrumenta publica expedire.

§. 237.

Qualitates parochorum.

Quo gravioris est momenti officium parochiale, eo majores requiruntur virtutes in iis, qui eo munere funguntur. Praeprimis exemplo vitae populo praeluceant, doctrinâque rerum sacrarum necessariâ sint instructi. Eum in finem, praeeunte concilio Tridentino sess. 24. cap. 18. et sess. 25. cap. 9. de reformatione, legibus nostris statutum est, ut parochiae omnes per concursum conferantur. Qui parochiam adeunt, intra duos menses professionem fidei in manus episcopi ejusve vicarii deponere tenentur; conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de reformatione. *)

*) Plura de juribus, officiisque parochorum, de concursu parochiali, de vicariis, et cooperatoribus in jure ecclesiastico privato exponendi locus erit.

Juris publici ecclesiastici.

Pars secunda.

Jus publicum ecclesiasticum externum.

Sectio prima.

Jus publicum ecclesiasticum externum relate ad rempublicam.

Caput primum.

De nexu ecclesiae cum republicâ generatim.

§. 238.

Jus publicum ecclesiasticum externum versatur in exponendis juribus erga eos, qui sunt quidem extra ecclesiam, quibuscum tamen

Divisio materiae.

rerum agendarum commercium ecclesiae intercedit, constatque duabus sectionibus, quarum prima jus externum relate ad rempublicam, altera relate ad alienarum confessionum asseclas continet. Illud in tria capita commode dividimus, capite primo generatim nexum ecclesiae cum republicâ seu mutuam ecclesiae et reipublicae ad se invicem relationem, secundo, jura ecclesiae relate ad civitatem, tertio, jura civitatis relate ad ecclesiam pertractantes. Et licet jus ecclesiasticum externum aliud sit naturale, quod ex jure societatis ac praeprimis civitatis universali ad notionem ecclesiae accomodato deducitur, aliud positivum, quod nititur positivis tum reipublicae tum ecclesiae legibus, nos tamen utrumque conjunctim ac promiscue pertractamus, ideoque ecclesiae nomine nonnisi ecclesiam christiano - catholicam intelligi volumus.

§. 239.

Discrimen essentiale inter ecclesiam et rempublicam.

Ecclesia et civitas differunt inter se origine, scopo, ac mediis scopum persequendi. (§§. 1. 2. 3.) Et ecclesia quidem a Christo Domino est instituta, ejusque jura praeceptis divini Servatoris ex sacrâ scripturâ et traditione conspicuis nituntur. Scopus ecclesiae in virtute ac salute fidelium situs est, proinde non e solis actionibus externis; sed ex interioribus animi sensibus, iisque maxime, pendens. Qui cum vi extorqueri nequeat, consequens est, media ecclesiae ad finem suum obtinendum, alia non suppetere,

quam inſtitutionem, et exercitationes pias, et excluſionem contumacium a communione eccleſiaſticâ, (§. 11.) jus vero cogendi proprie tale ad eccleſiae poteſtatem minime pertinere. (§. 18.) At vero civitas, quamvis et illius Deus auctor ſit eo ſenſu, quod ex lege morali divinâ homines ſeſe in civitatem conſociare teneantur, proprie tamen pacto unionis et ſubjectionis conficitur, ex quo etiam jura civitatis ſunt deducenda. Finis ejusdem eſt conſervatio ſtatus juridici, cumque in eo fine perſequendo ad actiones ſolum externas, non ad interiores animi ſenſus reſpiciatur, ſequitur, poteſtatem civilem ex naturà ſuà et indole eſſe coactivam. (§. 3.)

§. 240.

Independentia utriusque poteſtatis.

Eccleſia igitur et respublica diverſae ſunt ſocietates, quarum quaelibet per ſe ſubſiſtit. Errant, qui utramque pro unâ eàdemque haberi volunt. *) Attamen cum neque fines licet prorſus diverſi inter ſe pugnent, ſed potius mirum in modum ſeſe mutuo adjuvent, neque media utrique propria ſibi invicem adverſentur, facile intelligitur, nihil omnino obſtare, quo minus ambae penes ſe invicem conſiſtere queant. Quare et utraque poteſtas eccleſiaſtica, et civilis per ſe ſubſiſtit, neque una ab alterà pendet. **) Haec tamen independentia ab aequalitate jurium probe eſt diſcernenda, immo potius in eo ſita eſt, ut in uſu jurium, etſi illa neutri ſint eadem, ſed potius utrique propria, una ab alterà minime turbetur,

*) Ejusmodi unitatem ecclesiae et reipublicae defendere conatur Henricus Stephani in opere: Von der absoluten Einheit der Kirche und des Staats, cui opponuntur quaedam animadversiones in der theologisch = praktischen Monathschrift 3. Jahrg. 1. Band Seite 57.

**) Sententia haec debita restrictione intelligenda est. Ecclesia independens a statu civili eatenus tantum dici potest, quatenus potestas ecclesiastica in potestate civili non complexa, adeoque ab ea diversa est, Ecclesiae tantum non civitati directio competit ad finem ecclesiasticum, nec civitas praescribere potest ecclesiae, quibus mediis finis ecclesiasticus proxime sit assequendus.

Ut singuli cives etiam ecclesia in civitate gaudet libertate civili, vi cujus ecclesiae agendi ratio relate ad finem civitatis nec necessaria nec nociva sibimetipsi relicta manet, nec a potestate civili definitur. Independens ergo a statu civili ecclesia est tantum, quantum gaudet libertate civili. Quatenus vero in statu existens civili jus habet in protectionem civitatis, adeoque ipsamet civis est: omnino dependet a civitate, prout quaeviscunque societas in ea existens, prout persona physica aut moralis. Societas in civitate existens, attamen absolute ab ea independens monstrum foret civile, absurdum. Valet idem de ecclesia. S. Eggers natürl. öffentliches Recht. I. Band §. 206. — Hofrath von Zeillers natürl. Privatrecht §. 147. — Historisch statistische Abhandlung von Errichtung, Ein = und Abtheilung der Bisthümer ꝛc. 4. Abtheilung.

Cum vero penes subditum non est definire, quid relate ad finem civitatis necessarium aut noxium aut liberum sit, sed penes summam potestatem: potestas ecclesiastica recte a civili diversa, non tamen independens dicenda est.

§. 241.

Adjumentum mutuum.

Tantum abeſt, ut eccleſia et respublica ſibi invicem adverſentur, ut potius altera alteri opem ferat. Etenim eccleſia, ut ſocietas externa, indiget tranquillitate et ſecuritate, eamque reipublicae in acceptis refert; eidem opus eſt bonis ad alendos miniſtros, quae respublica vel ſuppeditat, vel tuetur; externa quoque actionum cum lege convenientia, quam legalitatem vocant, quamque respublica intendit, maximum Chriſtianae virtuti, quae eccleſiae finem conſtituit, adfert adjumentum. Respublica vero, ſi cives habeat tranquillos, probos, obedientes, id omnino debet eccleſiae. Tales enim efficit Chriſtiana religio, quae hominum animos excolendo legalitatem quoque actionum externarum promovet, omnem juris violationem ut peccatum condemnat, exactam praecipit officiorum ſtatus obſervationem, ſubjectionem denique poteſtatibus ſublimioribus, utpote a Deo ordinatis, debitam maximopere inculcat, ad Roman. XIII.

§. 242.

Eccleſia eſt in civitate.

Eccleſiae Chriſtianae univerſali, toto orbe inter varias nationes regnaque diſperſae, cum peculiari quadam civitate eatenus tantum intercedit negotium, quatenus quae ab eccleſia ſtatuuntur, a civibus ejusdem, qui ſimul ſunt membra eccleſiae, ſunt exſequenda. Cives hi eccleſiae catholicae addicti conſtituunt eccleſiam particularem, (nationalem)

quae est in civitate, idque eo sensu, quod non modo membra singula ecclesiae simul sint cives hujus civitatis, verum etiam ecclesia tota, ut persona moralis, in territorio civitatis exstet, aliis societatibus in civitate exstantibus hac in re aequiparanda. Quamvis igitur relate ad proprium suum finem, in quantum quaeritur, quid finem hunc juvet, quid impediat, per se ipsa subsistat, neque a civitate pendeat, sub civili tamen respectu, quatenus jura civilia, libertatem et proprietatis jus sibi vindicat, atque ad finem civitatis relationem habet, omnino a civitate pendet, supremae curae imperantis, legibusque civilibus subjecta, nec minus oneribus communibus obnoxia.

§. 243.

Civitas non est in ecclesiâ.

Civitas, quâ talis; non est subjectum religionis, neque certae cuidam societati religiosae seu ecclesiae consociata. Nec enim pacto unionis et subjectionis nititur, ut cives huic vel illi religioni sint addicti. Imperanti quoque civili aeque ac reliquis civibus liberum est, ecclesiae consociari, necne, sique sunt in ecclesiâ, ea res relate ad civitatem est prorsus fortuita. Civitas ergo non est in ecclesiâ, tametsi tum imperans tum cives etiam omnes membra sint ecclesiae: imperantisque catholici, quâ imperantis, nec plura nec pauciora sunt jura atque officia, quam ejus, qui aliam sequitur fidei confessionem. Unde consequitur, imperantem civilem, licet sit ecclesiae membrum ac propte-

rea in rebus ſacris ab eccleſiâ pendeat, haudquaquam, in quantum eſt imperans, eccleſiae ſubeſſe, neque civitatem ipſam, quà talem, ullà ex parte ab eccleſiâ dependere.

§. 244.

Quo modo eccleſia et respublica collidi poſſint.

Eccleſia et respublica aliâ ratione in ſe invicem agere et collidi nequeunt, quam cum eaedem perſonae ſimul et eccleſiae membra ſunt, et cives reipublicae. Quorum in actionibus, prout ad finem ſeu eccleſiae ſeu reipublicae referuntur, diſtinguendum eſt, utrum ſint mere eccleſiaſticae, an mere civiles, an mixtae. Actiones nimirum eccleſiaſticae nonnullae ſimul referuntur ad finem civitatis, idque vel immediate vel mediate, mediante ſcilicet fine eccleſiae, quàtenus is finem quoque civitatis adjuvat: quodſi illae ad finem civitatis non immediate referuntur, de quà re judicium eſt penes imperantem civilem, pro mere eccleſiaſticis ſunt habendae. Eadem ratione actiones civiles relationem habent ad finem eccleſiae vel immediatam vel mediatam, mediante fine civitatis, et has poſteriores quoque, quae ſcilicet mediatam ſolum habent relationem ad finem eccleſiae, actionibus mere civilibus adnumeramus. Actiones mixtae non dicuntur eae, quae ad alterutrum finem immediatam, ad alterum vero mediatam tantum habent relationem; alias enim propter mutuam civitatis et eccleſiae cohaerentiam actiones pure civiles aut pure eccleſiaſticae ne cogitari quidem poſſent. Mixtas igitur vocamus, quae ad

utrumque finem tam ecclesiae, quam reipublicae immediate referuntur. Hae vero relate ad finem ecclesiae vel essentiales sunt, vel accidentales. Essentiale nonnisi illud est, quod institutione ac praecepto divino nititur, reliqua accidentalia sunt censenda.

§. 245.

Regulae definiendi limites; quoad ea, quae sunt mere ecclesiastica, aut mere civilia.

Quibus praemissis sequentes juvat statuere regulas: quibus utriusque potestatis limites definiuntur: 1) Actus mere ecclesiastici unice subsunt ecclesiasticae potestati, cui in illis dirigendis non aliis uti licet mediis, nisi naturae ipsius accomodatis, videlicet institutione, exercitationibus piis, exclusione contumacium vel totali vel partiali a communione ecclesiasticâ. 2) Actus mere civiles unice subsunt potestati civili, quae proprio suo cogendi jure ea, quae vult, perficit. 3) Actus mixti, quorum effectus ecclesiastici et civiles sunt separabiles, quoad effectus ecclesiasticos ecclesiasticae, quoad civiles civili subsunt potestati.

§. 246.

Quoad actus mixtos, quorum effectus non sunt separabiles.

In actibus mixtis, quorum effectus ecclesiastici et civiles separari nequeunt, 4) distinguendum est, utrum de re essentiali relate ad finem ecclesiae, an de accidentali agatur. Quidquid judicio ecclesiae, cujus est hàc de re judicare, essentialiter ad ipsius finem pertinet, id fini civitatis obesse nequit. (§. 244.) Neque etiam liberum fuit civibus, cum sese

in civitatem consociarent, fini ecclesiae, utpote summo et ultimo cujusvis hominis, iisque rebus, sine quibus ille obtineri nequit, renuntiare. Itaque nec actus ecclesiastici essentiales a potestate civili impediri, nec ea, quae fini ecclesiae essentialiter adversantur, ab eâdem decerni possunt. 5) Ex adverso ad res accidentales quod attinet, non est in ecclesiae potestate, quidquam statuere aut perficere, quod imperans civilis, qui solus hàc in re judex est legitimus, noxium reipublicae judicaverit. Cum enim ecclesia in civitate existens relate ad finem civitatis imperio civili subsit, (§. 242.) sequitur, non licere eidem alia adhibere media ad finem suum consequendum, nisi respectu reipublicae innoxia, legibusque civilibus haud contraria. Cumque universim officia erga Deum affirmativa cedant officiis erga proximum, idem quoque de officiis erga civitatem statuendum est.

*) Quod ergo nonnulli scriptores statuunt principium, finem ecclesiae, ut nobiliorem, anteponendum esse fini civitatis, nonnisi tum valet, ubi de rebus ecclesiasticis essentialibus agitur. In rebus enim adiaphoris finis ecclesiae detrimentum non patitur, eo quod alia adhuc supersunt media legibus civilibus permissa, quibus is obtineri possit. Immo vero ille sane adversaretur fini ecclesiae, qui mediis illis respectu ecclesiae adiaphoris, reipublicae vero noxiis ac lege civili vetitis uteretnr, atque ita officia erga rempublicam, quae simul officia sunt religionis Christianae, violaret. Ceterum imperanti civili dijudicanti, an et quâtenus quidquam sit reipublicae noxium, simul ratio habenda est utilitatis; quae inde ecclesiae forte accrescit; namque bonum

ecclesiae etiam in civitatem mirum quantum redundat.

§. 247.

Quoad illas res, quae ad finem alterutrum mediate solum referuntur.

Porro 6) actus mere ecclesiastici, qui finem civitatis mediate solum respiciunt, potestati ecclesiae hoc nomine subtrahi nequeunt, imperantique civili de rebus hujusmodi non alio pacto, nisi salvis juribus potestatis ecclesiasticae, et convenienter judicio ecclesiae, disponere licet. Actus enim hi, ut supponimus, eatenus solum cum fine civitatis conferuntur, quatenus ad finem ecclesiae consequendum pertinent; est vero solius ecclesiasticae potestatis judicare, quid ad finem ecclesiae consequendum pertineat. Aliud sane est, ecclesiam tueri, eamque in exsequendis mediis ad finem suum idoneis adjuvare, aliud media haec proprio judicio statuere, legibusque definire. *) Pari modo 7) actus mere civiles unice subsunt imperio civili, etiamsi ad finem ecclesiae mediate, quatenus nimirum salus reipublicae salutem quoque ecclesiae adjuvat, referuntur, eo quod solius imperii civilis est, judicare, quid salutem reipublicae promoveat. Quamvis igitur observatio jurium civilium, lege morali praecepta, officium sit conscientiae, atque sub hoc respectu ad finem ecclesiae relationem habeat, in solius tamen imperantis civilis potestate est, iura illa legibus constituere ac definire.

*) Est tamen inter ecclesiam universam, et inter antistites singulos discernendum. Si ergo con-

ſtaret, judicium cujusdam antiſtitis ſive doctrinae certae, ſive canonibus aut conſuetudinibus univerſalis eccleſiae adverſari, omnino imperantis civilis foret, eccleſiae univerſalis potius, quam illius antiſtitis judicium ſequi.

§. 248.

Quodſi alterutra poteſtas limites ſibi praefixos transgrediatur, tum 8) imperans quidem civilis contra eccleſiam jura civitatis violantem coactione phyſicâ ſeſe tuetur, ſiquidem media leniora non ſufficiant, ſique id prudentiae legibus conveniens judicetur. Contra 9) eccleſiae ex naturà poteſtatis ſacrae media alia contra poteſtatem civilem jura eccleſiae violantem ſeſe tuendi non ſuppetunt, niſi adhortationes, et preces. Excluſio vero Civitatis a communione eccleſiaſtica perperam adhibetur, cum civitas non ſit in eccleſia, (§. §. 242. 243.) Media, tuendi hos limites, utrique parti própria.

Caput ſecundum.

De juribus eccleſiae relate ad civitatem.

§. 249.

In explicandis juribus eccleſiae relate ad civitatem diſtinguenda ſunt 1) jura ficta, ſeu falſo eccleſiae adſcripta, 2) illa, quae ec- Diviſio.

clesia nonnisi ex concessione imperantis civilis possidet, aut olim possederat, 3) jura ecclesiae proprie talia, ex naturà ac indole societatis ecclesiasticae eidem convenientia, quorum alia ad civitatem ipsam quà talem, alia ad personam imperantis civilis ecclesiae catholicae addicti referuntur.

§. 250.

Jura ecclesiae falso adscripta — potestas directa vel indirecta in temporalia.

Erant, qui Romano pontifici tanquam regi regum omnium potestatem directam in temporalia adtribuerunt. Sententiam hanc imperio civili quam maxime injuriosam solidis argumentis confutavit Bellarminus. Verum ubi ipse parum constans alium substituit potestatem ecclesiae in temporalia, quam indirectam vocavit, eamque in regnis religioni catholicae addictis, in quibus ecclesia et civitas unicam, ut ait, conficiunt rempublicam Christianam, Romano pontifici ut ecclesiae capiti adscripsit. Hanc potestatem asserit ad negotia illa civilia pertinere, quae ad finem ecclesiae spiritualem quamdam habent relationem, indeque esse dimetiendam. Ex eàdem potestate liberum esse, ait, Romano pontifici reges deponere, qui vel haeresi, vel aliis sceleribus ecclesiae, salutique animarum afferunt detrimentum, subditosque vinculo liberare. At vero utraque sententia et genuinis principiis de naturà ac limitibus utriusque potestatis, (§. 239. 243. 248.) et dissertis sacrae scripturae effatis, et doctrinae SS. Patrum, et exemplo antiquae ecclesiae apertissime repugnat. *)

*) Copiose hanc materiam pertractant Bossuet in defens. declar. Cler. Galic. lib. 1. sect. 2. Dupin antiq. eccl. discipl. Diss. VII. Anonym. de potest. eccl. et tempor. propos. 1. Natal. Alexand. Diss. 2. in hist. eccl. sec., 11. et 12.

§. 251.

Repugnat sacrae scripturae.

Scriptura sacra nec minimum continet vestigium, quo significetur, Christum Dominum ecclesiae suae sive directam sive indirectam in temporalia contulisse potestatem, imperioque civili eousque summo ac independenti quidquam ademisse. Contrarium potius quam plurimis sacrarum literarum locis comprobatur. Reddite, ait Christus, quae sunt caesaris, caesari, et quae sunt Dei, Deo. Matth. XXII. 21. Item: Regnum meum non est de hoc mundo, Joan. XVIII. 36. Cumque discipulis futuras praedixisset persecutiones, quas pro nomine illius sint perpessuri, monet illos, non ut vi resistant, sed ut in patientià suà animas suas possideant, Matth. X. 18—23. Luc. XXI. 13—19. Ita quoque docent Apostoli, unumquemque potestatibus sublimioribus subditum esse debere, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; non esse potestatem, nisi a Deo, et qui resistat potestati, eum Dei ordinationi resistere, sibique damnationem acquirere, ad Roman. XIII. 1 — 7. Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi tanquam praecellenti, sive ducibus tanquam a Deo mis-

ſis, quia eſt voluntas Dei. 1. Petr. II. 13. 14. Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis et modeſtis, ſed etiam dyſcolis; haec eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens injuſte etc. Ibid. v. 18 — 21.

§. 252.

Doctrinae SS. Patrum.

Neque minus ſancti Patres uno ore profitentur, terrae principes nonniſi a Deo pendere, eique ſoli delictorum ſuorum poenas eſſe daturos; *) porro ſubditis nullà prorſus ratione licere, imperanti, tametſi improbus ſit, poteſtateque ſuà abutatur, vi reſiſtere; **) neque magis eccleſiae in rebus civilibus, quam imperanti civili in ſacris competere poteſtatem. ***) Juvat hanc in rem nonnulla Patrum loca inſigniora adducere.

*) *Si quis, e nobis o Rex, juſtitiae tramites tranſcendere voluerit, a te corrigi poteſt; ſi vero tu receſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronunciavit eſſe juſtitiam? Gregor. Turon. Hiſtor. lib. 5. c. 17.*

**) *Coactus repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere; adverſus arma, adverſus milites Gothos quoque lachrymae meae arma ſunt, aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere. Ambroſ. orat. ad Auxent.*

***) *Tibi Deus imperium tradidit, nobis eccleſiaſtica concredidit; ac quemadmodum qui tibi imperium ſubripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue, ne*

ſi ad te eccleſiaſtica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, ſcriptum eſt, quae ſunt caeſaris, caeſari, et quae ſunt Dei, Deo. Neque nobis terrae imperare licet, neque tu adolendi habes poteſtatem. Oſius Cordubenſ. ad Conſtant. Imper. apud Athanaſ. epiſt. ad ſolit. *Non tribuamus dandi regni atque imperii poteſtatem, niſi vero Deo, qui dat felicitatem in regno coelorum ſolis piis, regnum vero terrenum et piis et impiis.* Auguſtin. de civit. Dei lib. 5. cap. 25.

§. 253.

Exemplis antiquae eccleſiae.

Sententiae illi, quâ poteſtas eccleſiae qualiscunque in temporalia regum adſtruitur, exempla quoque primitivae eccleſiae manifeſto adverſantur. Oppreſſi erant fideles graviſſimis perſecutionibus tum Imperatorum ethnicorum, tum Juliani apoſtatae, tum potiſſimum Imperatorum Arianis partibus addictorum Conſtantii, et Valentis, neque viribus deſtituebantur, teſte Tertulliano in Apolog. cap. 38., quibus vim injuſtam repellerent. Attamen tam longe illi aberant ab omni vi injuſtis perſecutoribus faciendâ, ut extrema quoque potius perpeti mallent, quam a fide eisdem datâ, debitâque obedientiâ diſcedere. Elapſis demum mille circiter annis Gregorius VII. primus fuit, qui poteſtatem ejusmodi ſibi adſumere, Imperatoremque Henricum IV. regno multare auſus eſt, exemplo hactenus novo et inaudito, quod plures ejusdem temporis epiſcopi, aliique viri, ſanctitate et doctrinâ conſpicui maximopere improbarunt.

§. 254.

Ecclesia ergo non habet potestatem legislatoriam in rebus civilibus.

Nulla igitur ecclesiae potestas est in actus mere civiles. Et ad legislatoriam quidem potestatem quod attinet, quas illa de rebus hujusmodi, v. g. in materià contractuum, praescriptionis etc. leges edidit, eae nonnisi ex delegatione aut ratihabitione expressà vel tacità summorum imperantium vim suam mutuantur, quibus adeo liberum est, leges ejusmodi, prout lubet, abrogare penitus, aut immutare. Equidem negari nequit, actus humanos omnes, etiam mere civiles, legi morali subesse, hujus vero legis explicationem, promulgationemque ad ecclesiam pertinere. Quoniam tamen bonitas aut malitia moralis actionum mere civilium per legem juridicam, modo haec divinis mandatis non manifesto repugnet, dijudicatur, lex autem juridica a potestate civili pendet, planum est, ecclesiam in explicandà actionum civilium moralitate legibus civilibus adstringi, neque eam habere potestatem, ut de rebus civilibus ipsa leges ferat. (§. 247.)

§. 255.

Neque judiciaria.

Neque convenit ecclesiae potestas ulla judiciaria, ubi de actibus mere civilibus agitur. Non deerant quidem praetextus varii, quibus efficiebatur, ut caussae civiles quamplurimae ad forum ecclesiasticum pertraherentur; pertinet huc in primis, a) ratio peccati, b) juramentum negotiis adjectum, c) negligentia judicis laici justitiam

vel denegantis vel protrahentis, d) tutela personarum miserabilium. At vero praetextus hos omni carere solido fundamento, quis non videt? Ecclesia enim a) judicat quidem de peccatis, tum pro foro interno in sacramento poenitentiae, tum in foro etiam externo, si peccatum est publicum, et cum scandalo conjunctum, verum judicium hoc totum in eo versatur, ut peccatorem ad agendam poenitentiam, et reparationem scandali compellat, ac contumacem a communione fidelium excludat. b) Juramento autem naturam actus, cui est adjectum, minime mutante, nil sane obstat, quo minus caussae civiles, juramento licet adjecto, ad forum civile deducantur. c) Quodsi a judice laico justitia fuerit denegata aut protracta, implorandum erit auxilium judicis superioris auctoritate summi imperantis instituti. d) Personis denique miserabilibus nonnisi mediis indoli potestatis ecclesiasticae accomodatis, adhortationibus scilicet, et intercessionibus ecclesia succurrit.

§. 256.

Coercitiva ecclesiae potestas non pertinet ad poenas civiles.

Neque potestas ecclesiae coercitiva eo valet, ut poenas civiles jure proprio possit decernere. (§. 77. 78.) Censurae igitur ecclesiasticae effectus civiles ullos habere nequeunt, nisi qui voluntate summi imperantis expressà vel tacità cum eisdem sint conjuncti. Unde ob effectus hos civiles censuris ecclesiasticis jure communi adnexos lege publicà in Austrià cautum est, ut excommunicatio sub-

diti Austriaci sine consensu summi imperantis locum non habeat, eumque in finem caussa excommunicationis a commissariis ecclesiasticis et politicis pari numero discutiatur, sententia vero feratur quidem ab ordinario, attamen ante publicationem exhibeatur summo imperanti, placito regio confirmanda, 17. Jun. 1775. Pari modo neque animorum curatoribus permissum est, poenas externas publicasque auctoritate propriâ ac sine praescitu et consensu regiminis provinciae poenitentibus imponere, 27. Febr. 1779, (pro Gallicia occidentali 12. Sept. 1797.) Immo et quod episcopi delicta clericorum leviora, quorum lex civilis poenas non exigit, poenis quibusdam temporalibus levioris generis, ut custodiâ liberali et jejunio, solent mulctare, nonnisi facultati a summo imperante concessae est tribuendum.

§. 257.

Jura ecclesiae a civitate concessa. Immunitas personalis.

Jura ecclesiae a civitate concessa praecipua sunt, immunitas personalis, realis et localis. Et immunitatem quidem personalem, quâ clerici in caussis civilibus a foro civili fuere exemti, et ecclesiastico subjecti, haudquaquam institutionis esse divinae, sed privilegio duntaxat summorum imperantium inniti perspicua sacrae scripturae effata indubium reddunt. Omnis anima, ait Apostolus, quin ullam excipiat, potestatibus sublimioribus subdita sit, ad Roman. XIII. 1. Idem ipse Caesarem appellavit, a foro civili judicari voluit, Act. XXV. 10. 11.

Porro conſtat ex hiſtoriâ quam certiſſime, privilegium hoc immunitatis perſonalis a Chriſtianis primum imperatoribus eccleſiae fuiſſe conceſſum, variisque modis nunc auctum, nunc diminutum. In Auſtriâ illud penitus ceſſavit, omnesque clerici in cauſſis civilibus foro civili, et ex lege quidem noviſſimâ judicio nobilium cujusvis provinciae (Landrecht) ſunt ſubjecti.

*) *Sacerdotibus etiam et monachis, nec ſecularibus tantum hoc ab exordio declarat, dicens: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etſi Apoſtolus eſſet, etſi Evangeliſta, et Propheta, etſi quivis alius; neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio.* Chryſoſtom. homil. in cap. 13. epiſt. ad Roman.

§. 258.

Neque minus, ſiqua convenit eccleſiis, bonisque eccleſiaſticis exemtio a perſolvendis tributis ac vectigalibus, quam immunitatem realem vocant, ea quoque privilegio principum in acceptis eſt referenda. Quae enim jura civitati circa bona quaecunque in civitatis territorio ſita competunt, quo potiſſimum jus imponendi tributa pertinet, ea translatione bonorum ad eccleſias eidem auferri aut diminui certe non poterant. Cumque bonorum eccleſiaſticorum poſſeſſores aeque, ac reliqui cives juribus ac commodis civilibus fruantur, naturalis ſane juſtitia poſtulat, ut perinde ac reliqui cives ad onera publica, quod juſtum eſt, conferre teneantur. Tantum ſane abeſt Chriſtiana religio, ut ſubtrahat

Immunitas realis.

caesari, quae sunt caesaris, Matth. XXII. 15. ut potius subditos omnes obliget in conscientiâ, reddere tributum, cui tributum, vectigal, cui vectigal debetur, ad Rom. XIII. 5. 7. Leges Austriacae neque ecclesias, neque bonorum ecclesiasticorum possessores a tributorum, aliorumque onerum communium praestatione eximunt.

*) De hâc materiâ immunitatis ecclesiasticae conferri potest: Lochstein Gründe sowohl für als wider die geistliche Immunität in zeitlichen Dingen. Item ejusdem Antwort auf die Frage der geistlichen Immunität.

§. 259.

Immunitas localis.

Ita immunitas etiam localis seu asylum ecclesiasticum, quo securitas conceditur confugientibus ad ecclesias et loca sacra, ut surripi inde nequeant, ex solâ principum beneficentiâ descendit. Est enim proprie species quaedam aggratiandi delinquentes, jus vero aggratiandi soli competit imperanti civili. Ut autem privilegium hoc concederent principes, intercessiones primum episcoporum ansam praebuerunt, pro reis ad ecclesiam confugientibus judices interpellantium, ut necessarium eisdem ad agendam poenitentiam temporis spatium relinqueretur. Illud vero Imperatores Christiani, teste historiâ, prout libitum erat, jam arctius limitabant, jam latius extendebant. Falsis tamen Isidori decretalibus effectum est, ut caussae asylorum paulatim ad fora ecclesiastica pertraherentur. *) In Austriâ immunitas localis lege publicâ

dd. 16. Sept. 1775, certis limitibus eſt circumſcripta.

*) Vid. Van Eſpen Diſſert. de aſylis templorum.

§. 260.

Jura propria eccleſiae relate ad civitatem quâ talem — jus ad defenſionem civilem.

Jura propria eccleſiae relate ad civitatem quâ talem conſiſtunt in jure ad protectionem civilem, in jure cavendi, ne bonum eccleſiae detrimentum patiatur, et in jure, ſeu potius obligatione, promovendi ſalutem reipublicae. Eccleſiae nimirum, ut ſocietati in civitatis territorio exſtanti, ab eàque approbatae, jus competit exigendi a poteſtate civili protectionem, adeoque libertatem, incolumitatem, ac juſtitiae adminiſtrationem, libertatem in exercitio religionis, atque in uſu eorum, quae vel ad ſubſtantiam religionis pertinent, vel ſaltem civiliter innoxia ſunt, et indifferentia, quam libertatem conſcientiae appellant; huic enim libertati cives ſinguli ineundo ſocietatem civilem renunciare nec voluere unquam, nec potuere — incolumitatem tum vitae ac corporis, tum proprietatis, quâtenus acquiſitio, ac procuratio bonorum legibus civilibus eſt conſentanea — adminiſtrationem denique juſtitiae ad tuenda jura eccleſiae ſive ab ipſis ſociis, ſive ab alienis violata; quae tamen, ſi ſint de genere jurium mere ſpiritualium, ex principiis, ſtatutisque eccleſiaſticis a judice civili dimetienda ſunt, ac aeſtimanda.

§. 261.

Jus cavendi, non tamen placiti ecclesiastici.

Cum potestas ecclesiastica per se subsistat, ac a nemine pendeat, facile intelligitur, eidem quoque tribuendum esse jus cavendi, ne ex parte potestatis politicae injuriam detrimentumque patiatur. Verum hoc jus cavendi solis mediis, indoli ecclesiasticae potestatis propriis, adhortationibus scilicet, precibus, patientià, ac constantià in rebus adversis pro Dei nomine fortiter ferendis absolvitur. Neque enim jus est ecclesiae, inspiciendi negotia civitatis, exigendique, ut leges civiles ante promulgationem ecclesiae exhibeantur, ac siqua in illis bono ecclesiae adversa deprehendantur, promulgationem interdicendi, quod jus placeti ecclesiastici dici posset; quemadmodum simile jus civitati relate ad ecclesiam sub nomine placeti regii vindicatur. Discriminis ratio in eo posita est, quod ecclesia sit in civitate constituta, eique respectu juriam civilium subjecta, contra civitas non sit constituta in ecclesiâ; (§. 242. 243.) quodque jus illud supremae inspectionis civili imperio vindicatum pacto unionis et subjectionis, quo civitas coaluit, nitatur, ecclesiae vero jus hujusmodi a Christo Domino nullibi appareat esse concessum.

*) Ex hic et in annotatione ad §. 240. secunda dictis patet, jus cavendi non esse proprium ecclesiae solum competens, sed jus potius omni civi commune; quod a jure inspiciendi civitati proprio plane differt. Idem sentiendum de jure advocatiae sequenti paragrapho occurrente, quamvis nomine improprio.

§. 262.

Jus promovendi bonum reipublicae.

Cum observatio officiorum civilium, studiumque promovendi bonum reipublicae legis Christianae praeceptis nitatur, atque adeo ad finem ecclesiae conducat, consequens est, ecclesiae jus esse, mediis naturae potestatis ecclesiasticae convenientibus, institutione scilicet, ac externis pietatis exercitiis, bonum reipublicae promovendi; immo vero ipsam, ut societatem in civitate constitutam, de jure ad id obligari. Liceat id ad exemplum juris advocatiae, quod competit civitati relate ad ecclesiam, non incommode forsitan jus advocatiae vocare; quamquam ab illo multum differt. Ad civitatem enim pertinet, negotia ecclesiastica, quoad absque violatione tum libertatis conscientiae, tum potestatis ecclesiasticae proprie talis fieri potest, ad bonum reipublicae positive dirigere; ecclesiae vero jus hujusmodi in caussas civiles tribui nequit. Rationem differentiae supra (§. 261.) indicavimus.

§. 263.

Relate ad imperantem civilem fidei catholicae addictum.

Relate ad imperantem civilem fidei catholicae addictum, eadem habet jura ecclesia, quae erga alios fideles; hinc et illi verbum Dei praedicat, illum in sacramento poenitentiae de peccatis sese accusantem judicat, sique scandalum dederit, ad agendam poenitentiam hortatur. Verum potestas haec ecclesiae mere spiritualis eo nequaquam extendi potest, ut liceat ecclesiae a summo im-

perante negotiorum civilium rationes exigere, aut dijudicare, quid eidem, ut imperanti civili, in casibus singulis, agendum sit aut omittendum. Neque enim praecepta artis gubernandi rempublicam argumentum doctrinae Christianae constituunt, neque imperans in pertractandis negotiis civilibus agit nomine proprio; ut vir privatus, sed civitatis nomine, ut qui communem civium omnium voluntatem repraesentat. *)

*) Pertinet huc exemplum memoratu dignum S. Gregorii M., qui officii sui esse existimabat, legem ab Imperatore Mauritio latam, quam bono ecclesiae noxiam judicabat, sine mora tamen, uti ab illo petebatur, promulgare, tumque demum, cum promulgata esset, adversus eandem preces suas ad Imperatorem deferre. *Utrobique ergo*, inquit, *quod debui, exsolvi, qui et Imperatori obedientiam praebui, et pro Deo, quod sensi, minime tacui.* Lib. II, epist. 62. ad Maurit.

§. 264.

An censurae ecclesiasticae in eundem conveniant?

Cum imperans fidei catholicae addictus, ut vir privatus, relate ad finem ecclesiae subditus sit ecclesiasticae potestati, negari absolute nequit, eum quoque censuris ecclesiasticis affici, et a fidelium communione posse excludi. Verum id Imo ob caussas mere civiles fieri non potest, utpote quarum cura et judicium nullâ ratione ad ecclesiam pertinet. Censurae igitur ecclesiasticae in eum solummodo cadunt, ut hominem privatum, non ut imperantem civilem; quà talis enim non est membrum ecclesiae. IIdo.

Cumque illae generatim haud alios effectus civiles habeant, nisi qui ab arbitrio potestatis politicae pendent (§. 256.) sequitur, effectus hujusmodi multo minus relate ad principes ipsos censuris ecclesiasticis tribui posse. IIItio. Secundum ea, quae tradit S. Augustinus *) de usu censurarum, vix ac ne vix quidem fieri potest, ut ecclesiae unquam consultum sit, summos principes excommunicationis gladio ferire; unde, ubi id factum est, historiâ teste, mala semper quam maxima, scandala, schismata, variaeque calamitates in ipsam ecclesiam redundarunt.

*) *Quando ita cujusque crimen notum est omnibus, et omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinae. — Neque enim potest esse salubris a multis correptio, nisi cum sociam non habet multitudinem,; cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor, et gemitus.* S. Augustin. lib. 3. contr. epist. Parmen.

Caput tertium.

De juribus civitatis relate ad ecclesiam.

§. 265.

Civitati jus ullum in sacra proprie tale neque ex pacto illo competit, quo socie- Civitati non competit jus

in ſacra proprie tale.

tatem civilem inierunt cives; ſeſeque imperanti civili ſubjecerunt, neque a divino eccleſiae Chriſtianae auctore collatum eſt. Pacto enim illo nonniſi quantum ad finem civitatis, qui in ſecuritate ſeu defenſione jurium ſitus eſt, imperanti ſeſe ſubjecerunt cives, quod autem ad religionem, et conſcientiam attinet, libertati ſuae naturali unquam renunciare nec voluerunt, nec potuerunt. Divinus vero eccleſiaé auctor poteſtatem clavium, ligandique et ſolvendi non imperantibus civilibus, ſed Apoſtolis ſuis conceſſit, a quibus in eorundem ſucceſſores epiſcopos eſt derivata. Id quod ipſi quoque Imperatores Chriſtiani inde a Conſtantini temporibus nunquam non agnoverunt. *)

*) *Deus vos conſtituit ſacerdotes*, ait Conſtantinus M. ad Patres concilii Nicaeni, *et poteſtatem vobis dedit, de nobis quoque judicandi; et ideo nos a vobis recte judicamur; vos autem non poteſtis ab hominibus judicari.* Ruffin. hiſt. eccl. lib. I. cap. II. Simili modo Imperatores Theodoſius et Valentinianus in epiſt. ad ſynod. Epheſ. *Nefas eſt*, inquiunt, *qui ſanctiſſimorum epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum eccleſiaſticis negotiis et conſultationibus ſeſe immiſcere.*

§. 266.

Sed jus inſpiciendi, et cavendi relate ad eccleſiam.

Competit vero civitati ejusque imperanti intuitu eccleſiae in civitatis territorio conſtitutae (§. 242.) jus inſpiciendi, ac cavendi, hoc eſt, negotiorum, decretorumque eccleſiae, quoties neceſſarium judicaverit, rationes exigendi eum in finem, ut reſciat,

ſiquid in detrimentum reipublicae agatur, proinde interdicendi, ac impediendi, quidquid relate ad finem quidem eccleſiae ſecundum ipſius eccleſiae univerſalis doctrinam adiaphorum, relate vero ad finem civitatis, judicio imperantis civilis, foret nocivum. (§. 246.) Cum enim jus hoc ſupremae inſpectionis ex principiis juris publici univerſalis imperanti civili in ſocietates quascunque in civitatis territorio degentes proprium ſit, neque Chriſtus Dominus inſtituendo eccleſiam ſuam juribus civitatis quidquam detrahere unquam voluerit, facile intelligitur, idem jus neque intuitu eccleſiae in civitatis territorio conſtitutae imperanti civili poſſe denegari.

§. 267.

Item jus advocatiae.

Cum religio virtusque Chriſtiana, in quâ finis eccleſiae ultimus ſitus eſt, medium ſit quam maxime idoneum ad promovendum finem reipublicae; (§. 241.) ex jure vero ad finem quemdam conſequendum jus quoque utendi mediis idoneis, iisque juſtis, recte deducatur, imperanti civili jus etiam tribuendum eſt, negotia eccleſiaſtica ad utilitatem reipublicae convertendi, ac dirigendi, quantum id juſtâ ratione fieri poteſt, quin vel libertas conſcientiae civium, vel poteſtas ſacra eccleſiae propria violetur, quod jus ſupremum advocatiae dici ſolet. Cavendum vero imperanti, ne utendo hoc jure aut libertatem conſcientiae violet, cum per pactum civile jus nullum de rebus religionis ac conſcientiae diſponendi ad imperantem ſit

translatum, aut potestati sacrae, quae est ecclesiae propria, utpote a Christo Domino non principibus terrae, sed ecclesiae antistitibus collata, injuriam inferat. (§. 265.) Itaque ad ea duntaxat negotia ecclesiastica peragenda valere potest jus illud advocatiae, quae judicio ipsius ecclesiae finem ejusdem vel re vera adjuvant, vel certe non impediunt. (§. 247.)

§. 268.

Jura civitatis relate ad potestatem ecclesiasticam. Jus placeti regii.

Tum ex jure inspiciendi et cavendi, (§. 266.) tum ex jure supremae advocatiae, (§. 267.) deducenda sunt jura singularia civitatis intuitu negotiorum ecclesiasticorum, seu jura circa sacra, quae a) vel potestatem ecclesiasticam generatim, b) vel exercitium religionis, c) vel personas ecclesiasticas, d) vel denique bona ecclesiastica respiciunt. *) Inter jura, quae respiciunt potestatem ecclesiasticam generatim, primum facile locum tenet jus, quod vocant, placeti regii, ex jure inspiciendi et cavendi immediate profluens, seu jus exigendi, ut constitutiones ecclesiasticae ante promulgationem inspiciendae exhibeantur, earumque promulgationem, siqua in illis relate ad finem ecclesiae adiaphora, reipublicae vero nociva deprehendantur, interdicendi. (§. 261.) Illud vero non ad constitutiones solum disciplinares, verum etiam ad dogmaticas pertinet, eà de caussa, quod facile fieri potest, ut definitioni dogmaticae quidquam v. g. circa modum illam promulgandi, et exsequendi, aut circa sanctio-

nem poenalem ſit admixtum, quod dogmaticum non eſt.

*) Quâ ratione in terris Auſtriacis jura principis circa ſacra exerceri ſoleant, ex jure potiſſimum privato apparebit. In Hungariâ jura circa ſacra proprio nomine *juris patronatus regii* comprehenduntur, iisque utitur rex apoſtolicus, etiam non requiſito ordinum provincialium conſenſu, ad alias leges ferendas neceſſario. Kollar. Hiſtor. diplom. jur. patron. Hung. reg. lib. tres. Vindob. 1762.

§. 269.

Jure hoc placeti regii jam pridem uſi ſunt ſummi principes Auſtriae religionis ſtudio, et pietate in ſuperos ab omni tempore inclyti, uti conſtat ex edictis Ferdinandi III. et Leopoldi I. in codicem Auſtriacum relatis. Eum in finem decretis novioribus dd. 12. Sept. 1767, 20. Martii 1781, et 17. Martii 1791, cautum eſt, ut reſcripti pontificii cujuscunque tam archetypus (Original) quam exemplum, cui fides facta eſt, (vidimirte Abſchrift) regimini provinciae porrigatur, inde, adjectà tum fiſci regii, tum ipſius regiminis ſententiâ, ad ſupremam curiam transmittenda. Neque id ſolum obſervandum eſt de bullis, brevibus, aliisve conſtitutionibus papalibus noviſſime editis, verum etiam de reſcriptis pontificiis priorum temporum, quandocunque illa emanaverint, ita, ut quisquis ea in uſum cupit deducere, placetum regium requirere teneatur. Immo et bullae jam receptae tam diu duntaxat vim retinent obligandi, quamdiu non aliud quidquam in civitate le-

Leges auſtriacae de placeto regio.

15

gibus forſitan recentioribus fuerit ſtatutum. *) Ab hac lege ſolum eximuntur abſolutiones a poenitentiarià Romanâ conceſſae, ſiquidem nonniſi conſcientiam reſpiciant, ſique vel res moram non patiatur, vel fama periclitetur. 23. Jul. 1782. Epiſcopi quoque litteras ſuas paſtorales et encyclicas, ſive dioeceſim univerſam, ſive partem ejus aliquam reſpicientes, per quas aut fideles omnes, aut ſoli clerici ad quidquam agendum vel omittendum obligentur, inſpectioni et approbationi regiminis provincialis politici ante promulgationem ſubmittere tenentur. 20. Febr. 1782, 1. April, 1784, 17. Mart. 1791.

*) Lex, neceſſitatem placiti regii pro conſtitutionibus pontificiis ſtatuens republicata eſt die 7. Nov. 1794 occaſione bullae contra ſynodum Piſtojenſem editae. Legibus etiam Hungariae conſtitutiones litteraeque quaecunque pontificiae irritae declarantur, niſi placito regio ſint confirmatae.

§. 270.

Jus reſtringendi nexum eccleſiae indigenae cum exteris.

Ex jure inſpiciendi et cavendi ſequitur quoque jus, reſtringendi nexum eccleſiae indigenae cum exteris, quantum is ad conſtitutionem eccleſiae propriam neceſſario non pertinet, bono vero reipublicae detrimentum adferre cenſetur. Poteſt igitur imperans in negotiis illis eccleſiaſticis, quae ad poteſtatem epiſcoporum originariam ſpectant, recurſum ad curiam Romanam ſubditis interdicere, aut ſub certis tantum limitationibus permittere. (§. 156.) Poteſt abolere exem-

tiones religioſorum, eorumque nexum cum generalibus ordinum exteris. (§. 153.) Poteſt et exigere, ſi res poſtulaverit, ſique pacta ſpecialia non obſtent, ut dioeceſes patriae ab epiſcoporum extraneorum jurisdictione ſeparentur, propriique intra territorii fines epiſcopi conſtituantur, quemadmodum in terris Auſtriacis noſtris temporibus factum eſſe conſtat. *)

*) Huc etiam pertinet, quod legibus noſtris nec dignitatem ullam eccleſiaſticam, nec titulum praelati domeſtici, protonotarii apoſtolici, aut ſimilem Romae petere cuiquam liceat, antequam, exhibitâ impenſarum, quas negotium illud exigit, conſignatione, ſummi principis adſenſum petierit, ac obtinuerit. 21. Aug. 1781.

§. 271.

Jus determinandi limites dioeceſeon.

Sive utilem curae animarum adminiſtrationem, ſive bonum temporale ſubditorum fidei catholicae addictorum reſpicias, intereſt certe quamplurimum reipublicae, ut tum dioeceſium epiſcopalium, tum parochiarum limites, habitâ ratione ſitus, diſtantiaeque locorum, ac frequentiae populi, juſte determinentur. Quare jure ſuo tum inſpiciendi, tum advocatiae id ſibi adſumit ſummus imperans, ut dioeceſes epiſcopales, parochiasque, ſalvis tamen eccleſiae juribus, partiatur, juſteque depoſcit, ut rectoribus eccleſiaſticis partitioni huic conveniens jurisdictio ſacra conferatur. Quo jure etiam imperantes Auſtriae, inſtitutis novis epiſcopatibus. ac parochiis, conſtitutisque earum li-

mitibus, in bonum tum ecclesiae, tum reipublicae usi sunt; negotiumque, quod in constituendis parochiarum justis finibus versatur, (Ein- und Auspfarrungsgeschäft) teste quotidianà experientià, a regimine provinciae politico solet pertractari, ita tamen, ut casu quovis obveniente consistorii episcopalis judicium expetatur.

§. 272.

Jura respectu legatorum pontificiorum.

Primati ecclesiae jus esse, mittendi legatos, alio in loco ostendimus, (§. 125.) simulque observavimus, potestatem legatorum limitibus potestatis primatialis, juribus principum, ac episcoporum, et legitimo usu atque consuetudine esse dimetiendam. (§. 148. 171.) Fieri autem potest, ut legati pontificii limites hos transgrediantur, seu proprio marte, seu mandatis instructi ejus generis, quae auctoritati principis, tranquillitati reipublicae, libertatique ecclesiarum repugnent: item ut personae ingratae, quibus justae obstent exceptiones, ad legationis munus nominentur. Imperanti igitur liberum esse oportet, tum has posteriores declinare, tum litteras mandati legatorum pontificiorum, antequam hi recipiantur, examinare, eosdem in gerendis negotiis observare, sique opus fuerit, ad justos potestatis limites revocare, immo et ipsis, si necessarium videbitur, commorationem in civitatis territorio ulteriorem interdicere.

§. 273.

Jus recipiendi recursum.

Si quis societatis cujuscunque in civitate constitutae socius jura socialia sibi competentia a rectoribus societatis laesa esse judicat, neque ab ipsâ societate praesidium satis aptum exspectat, dubium non est, quin ipsi judicem civilem adire liceat eum in finem, ut is opportunum laeso praesidium ferat, eam tamen sequens judicii moderationem, quae indoli ac constitutioni societatis propriae conveniat. Huic principio nititur jus civitatis, recipiendi recursum ad principem, seu appellationem tanquam ab abusu potestatis ecclesiasticae, quo nomine venit querela summo imperanti, ejusve tribunali proposita adversus sententiam, aut decretum rectoris ecclesiastici, legitimâ potestate abutentis. Effectus recursus hujusmodi, cujus luculenta exempla in priorum etiam seculorum historiâ occurrunt, *) varii sunt pro varietate negotiorum, de quibus agitur. Etenim si in eo res vertitur, ut jura civilia defendantur, tranquillitati salutique publicae consulatur, libertates patriae integrae serventur, ipsius certe imperantis est, judicisque civilis, de iis rebus, facto recursu, judicium ferre. Quodsi vero de juribus mere ecclesiasticis agatur, tum recursui ad principem eatenus solum locus patet, quatenus judex ecclesiasticus procedendo viâ facti, nec servato juris ordine, laesisse appellantem intelligitur; quo in casu judicis civilis, quin is internum rei statum, seu merita caussae, ut dici solent, ullo modo attingat, eae solum sunt partes,

ut ad obſervandum ordinem procedendi legibus praeſcriptum judicem eccleſiaſticum compellat. **)

*) Ita Athanaſius a ſynodo Tyria abſens damnatus ad Conſtantinum Imperatorem, item Chriſoſtomus a ſynodo ad Quercum inique judicatus ad Arcadium confugit, protectionem regiam adverſus vim illatam implorans.

**) Conferatur de hâc quaeſtione Vaneſpen tract. de recurſ. ad princip. Legibus noſtris ſancitum eſt, querelas contra rectores eccleſiaſticos, quae cauſſas diſciplinares concernunt, ad conſiſtorium epiſcopale, tumque demum, ſiquis de negligentiâ conſiſtorii, aut iniquâ agendi ratione conqueratur, ad regimen provinciale eſſe deferendas. 20. Jul. 1782. 11. April. 1786. 17. Mart. 1791.

§. 274.

Jura circa exercitium religionis. — Jus promovendi inſtitutionem Chriſtianam

Jura principis circa exercitium religionis reſpiciunt potiſſimum: a) inſtitutionem Chriſtianam, b) obſervationem canonum eccleſiaſticorum, abuſuumque ſublationem, c) ritus religioſos accidentales, d) matrimonii leges, e) cauſſas fidei controverſas, f) tolerantiam denique alienae religionis. Imperantis profecto, ut religionis Chriſtianae defenſoris, jus eſt, atque officium, curam ſingularem gerere, ut cives in ſalutaribus doctrinae Chriſtianae principiis bene inſtituantur, proinde invigilare tum orationibus ſacris miniſtrorum eccleſiae, tum catecheſi puerorum in ſcholis, tum etiam inſtitutioni juvenum ad ſtatum eccleſiaſticum ad-

ſpirantium in diſciplinis theologicis, eumque in finem leges aptas ferre. Quod quidem non ita accipiendum eſt, tanquam in imperantis ſit poteſtate, de ipſà religionis doctrinà judicium ferre, ſed eo ſolum pertinet, ut ille miniſtros eccleſiae ad explendum officium ſacrum compellat, nec quidquam eos docere patiatur, quod vel puritati doctrinae Chriſtianae ab univerſali eccleſià receptae, vel juribus ſalutique reipublicae ſit adverſum. Eoque collimant tot tamque ſalutares principum Auſtriacorum conſtitutiones, quae in promovendà inſtitutione Chriſtianà populi ac juventutis, inque ſcholis theologicis bene ordinandis verſantur, jus tamen epiſcoporum invigilandi puritati ac rectitudini doctrinae intactum ſemper relinquunt.

§. 275.

Urgendi canonum obſervationem, abuſusque tollendi.

Ad imperantem quà advocatum eccleſiae pertinet quoque, ut obſervationem canonum eccleſiaſticorum, quibus bono religionis, eccleſiaeque conſulitur, mediis opportunis urgeat, abuſus vero, juxta genuinam eccleſiae catholicae doctrinam ut tales agnitos, eo magis e medio tollere conetur, quo magis virtuti atque efficaciae religionis ſalutiferae adverſantur. Quem in finem piiſſimi Principes noſtri de diverſis diſciplinae eccleſiaſticae negotiis, ut de conditionibus adeundi ſtatus eccleſiaſtici, de collatione beneficiorum, de ordine peragendi cultus divini externi, de variis, qui in functiones ſacras irrepſere, abuſibus, et ſimilibus, de-

creta quam plurima ediderunt, eaque ſaluberrima, quibus nil aliud ſpectarunt, niſi ut quidquid genuinae doctrinae eccleſiaſticae, canonibusque eſſet conſentaneum, tuerentur, atque ad effectum perducerent.

*) *In hoc reges*, ait S. Auguſtinus lib. 5. cont. Creſcon. c. 51, *ſicut eis divinitus praecipitur, Deo ſerviunt, in quantum reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quae pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam, quae pertinent ad divinam religionem.*

§. 276.

Jura circa ritus religioſos accidentales.

Ritus religioſi accidentales v. g. dies feſti frequentiores, proceſſiones, ac peregrinationes ſacrae, conventus nocturni, variis modis bono reipublicae obeſſe poſſunt. Eſt igitur imperantis, vi juris inſpiciendi et cavendi, ritibus ejusmodi arbitrariis modum ponere, ſiquidem reipublicae adferre detrimentum videantur. (§. 266.) Immo vero id quoque juſte ſibi vindicat, ut ritus ſacros poſitive ad utilitatem reipublicae vertat, (§. 267) utque v. g. ob ſingulares patriae neceſſitates preces publicas indicat, aliaque pietatis exercitia a miniſtris eccleſiae celebrari curet, id quod omnino mandato Apoſtoli ad Timoth. II. 1 — 4, ut fiant orationes pro regibus; et omnibus, qui in ſublimitate ſunt, quam maxime convenit.

§. 277.

Jura circa contractum

Matrimonium duplicem habet rationem, contractus ſcilicet, et ſacramenti; ut

contractus vero vel ad jus, vel ad legem moralem refertur. Cum ad solum imperantem civilem spectet, leges ferre, quibus jura civium determinentur, litesque desuper exortas componere, facile intelligitur, determinationes matrimonialis contractus juridicas a solius imperantis civilis potestate pendere. Illius igitur est, statuere, a quo, quibusque sub conditionibus contractus matrimonialis valide iniri possit; caussae quoque controversae, ubi de valore illius contractus, effectibusque civilibus agitur, nonnisi ad forum civile pertinent. Vid. Constit. Caes. dd. 16. Januar. 1783. §. 1. et 2. Quâtenus solum ad legem moralem refertur matrimonium, aut sacramenti rationem habet, recte de eo judicat ecclesia. Et sub illo quidem respectu pro foro conscientiae declarat, quà ratione ex praescripto doctrinae moralis Christianae celebranda sint conjugia, et quaenam conjugibus officia incumbant. Spectata vero sacramenti ratione, doctrinam praeceptaque Christi Domini, quae matrimonii sacramentum concernunt, exponit, docetque fideles, quomodo illud dignae sit suscipiendum. *) matrimonialem.

*) De jure statuendi impedimenta matrimonii speciatim in jure privato (II. §. 159.) agetur.

§. 278.

Jura circa controversias fidei.

Controversiae fidei in ecclesiâ exortae non bono tantum ecclesiae quam maxime obsunt, praesertim si cum exacerbatione ani

morum, neglectisque officiis ecclesiasticis gravioribus litigetur, verum etiam tranquillitatem reipublicae, teste experientià, in discrimen adducunt. Imperanti igitur, tum ut advocato ecclesiae, tum ut defensori reipublicae, certe jus competit, adhibendi media omnia, quae in ipsius sunt potestate, quaeque constitutioni ecclesiae propria sunt, ut controversiae ejusmodi componantur. Potest ergo utrique parti silentium imponere, donec universalis ecclesiae, ut supremi in rebus fidei judicis, definitio sequatur; *) potest concordiae ineundae caussa instituere theologorum utriusque partis colloquia, qualia sub Carolo V. Imp., inutili licet conatu, inter theologos Catholicos et Protestantes habita esse constat; potest denique concilia nationalia convocare, curamque gerere, ut si opus fuerit,, concilia etiam oecumenica habeantur. (§. 114.)

*) Inde cautum est decretis caesareis dd. 4. Maj. 1781 11. Maj. 1782, ne de propositionibus in bullà *Unigenitus* contentis, deque sententiis tum Molinistarum, tum Jansenistarum pro et contra publice disputetur.

§. 279.

Jus tolerandi alienam religionem.

Religio, quâ talis, non est materia pacti civilis; neque potuere cives libertati naturali circa exercitium religionis renunciare, supposito, nullum inde reipublicae periculum imminere. Porro cogi etiam nescia est religio; quamprimum enim vis, coactioque accedit, in fidem pietatemque simulatam abit.

Itaque imperanti jus eſt, civibus alienae confeſſioni addictis religionis exercitium, ſiquidem illam, tum doctrinâ, tum ritibus, bono reipublicae haud contrariam deprehenderit, liberum concedere, quod vulgo tolerantiam civilem appellant. Ab ejusdem quoque pendet poteſtate, modum ac conditiones tolerantiae hujus praeſcribere. *)

*) Leges tolerantiae ſpeciales in terris Auſtriacis occurrent in ſectione ſequente.

§. 280.

Jura relate ad perſonas eccleſiaſticas generatim.

Relate ad perſonas eccleſiaſticas citra dubium eſt, poſſe imperantem civilem vi juris inſpiciendi et advocatiae eorum numerum reſtringere, ſi is in detrimentum reipublicae nimium excreverit; poſſe eum praeſcribere dotes, ac conditiones ad adeundum ſtatum eccleſiaſticum, ac obtinenda officia eccleſiaſtica neceſſarias, ne, quod certe ut praecaveatur, reipublicae ob ſingularem, quà apud populum valet clerus, vim atque poteſtatem, quam maxime intereſt, miniſtri indigni inutilesque officiis eccleſiaſticis potiantur; poſſe eum denique eccleſiae miniſtros ad explendum officium ſuum, idque ſi opus fuerit, mediis etiam ſeverioribus compellere. Eo pertinent leges variae Imperatorum Chriſtianorum in utroque codice tum Theodoſii tum Juſtiniani, atque in Novellis Juſtiniani relatae, praeprimis vero conſtitutiones quamplurimae in terris Auſtriacis editae, quibus conditiones tam ad obtinendos ſacros ordines

necessariae, quam in collatione beneficiorum ecclesiasticorum observandae, praescribuntur, clericisque officia status in bonum ecclesiae ac reipublicae explenda graviter inculcantur.

§. 281.

Speciatim relate ad Regulares.

Iisdem quoque juribus utitur imperans speciatim relate ad ordines religiosos. Constat nimirum, nequaquam licere subdito, ullo se obstringere voto contra voluntatem superioris v. g. patris, mariti, heri, etc. in rebus, quae a potestate superioris pendent; liberumque esse superiori, votum ejusmodi contra voluntatem ejus initum irritare. Cum igitur, qui vota religiosa emittit, officiis variis reipublicae debitis, negotiisque civilibus ad omne vitae tempus subtrahatur, id quod certe absque consensu potestatis civilis fieri nequit, manifestum est, posse imperantem civilem certas legibus suis statuere conditiones, sub quibus vota religiosa a subditis valide emitti, ipsaeque domus religiosae in civitatis territorio possint subsistere. Est ergo imperantis, definire aetatem, quâ quis statui religioso sese possit addicere, et quidem ita, ut secus professio religiosa sit irrita; restringere numerum tum monasteriorum tum incolarum cujusvis monasterii; reformare denique, si opus fuerit, vitae genus, et statuta regularium, efficereque, ut ad majorem ecclesiae ac reipublicae utilitatem magis magisque conferant. *)

*) Videatur Rautenftrauch Diatriba de jure principis praefigendi maturiorem profeffioni monafticae folemni aetatem; item Pehem Verfuch über die Nothwendigkeit einer vorzunehmenden Reformation der geiftlichen Orden.

§. 282.

Relate ad electiones ecclefiafticas.

Intereft quam maxime reipublicae, ut dignitates muniaque ecclefiaftica iis folum conferantur, de quibus non modo nulla fint metuenda pericula, fed fperari etiam poffit, fore, ut pro eâ, quâ in populum valent, auctoritate, in confervandâ civium fidelitate, tuendâ tranquillitate publicâ, et promovendo ordine legibus praefcripto, quam maximo fint adjumento. Unde fequitur, fummo imperanti jus effe, in electionibus rectorum ecclefiafticorum dandi exclufivam iis, de quibus jufte timendum fit, ne poteftate fuâ in detrimentum civitatis abutantur, aut certe, quam omni jure habet civitas de ecclefiae miniftris exfpectationem, fruftrentur. Conftat praeterea ex hiftoriae ecclefiafticae monumentis, non folum populum, fed et principes Chriftianos praecipuas habuiffe partes in electionibus ecclefiafticis, eosque nominationem rectorum ecclefiae fundando ac dotando epifcopatus, aliaque beneficia ecclefiaftica merito fibi vindicaffe.

*) Jure hoc dandi exclufivam Imperantes Catholici in ipfâ quoque Romani pontificis electione uti folent.

§. 283.

Jura in bona ecclesiastica.

Bona ecclesiastica illa dicuntur, quae pertinent vel ad sustentationem ministrorum ecclesiae, vel ad conservanda aedificia, ferendasque impensas, quas cultus externus exigit. Illorum dominium competit universo fidelium coetui illius ecclesiae particularis, in cujus usum ac utilitatem a fundatoribus sunt destinata, tanquam personae morali nunquam deficienti. Administratio vero, siquidem a fundatoribus nil aliud fuerit statutum, secundum canones (§. 192.) ad rectores ecclesiae pertinet, qui ad mentem fundatorum reditibus uti stricte obligantur. Cum autem in civitatis territorio sita sint, vinculumque, quo eidem conjunguntur, translatione dominii in ecclesiam solvi minime possit, sequitur, idem imperanti civili in bona quaecumque ecclesiastica juris competere, quo is in alia bona suis in ditionibus sita utitur.

§. 284.

Jus imponendi tributa, dominium altum.

Jura imperantis in bona quaecumque in civitatis territorio sita, vel ad reditus vel ad proprietatem pertinent. Habet ille jus, de reditibus tributa percipiendi; habet jus, de ipsa quoque bonorum substantiâ, casu necessitatis id exigente, in bonum reipublicae disponendi, quod dominium altum seu eminens vocari solet. Eadem ergo jura respectu bonorum etiam ecclesiasticorum imperanti civili competant, necesse est. (§. 258.)

Quid? quod ipsi etiam indoli ac naturae bonorum ecclesiasticorum, mentique ecclesiae in sacris canonibus expressae apprime convenit, ut illa ad sublevandas communes necessitates, ad alendos pauperes, ad redimendos captivos, et quae sunt similia, convertantur. *)

*) *Aurum ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus*, ait S. Ambrosius lib. II. cap. 28. de offic. Vid. etiam Novell. Justinian. 7. cap. 2. et Causs. XII. qu. 2. can. 15.

§. 285.

Cura administrationis bonorum ecclesiast.

Bona ecclesiastica ad illud bonorum genus referri debent, quae tutelae seu curatelae subjiciuntur. Est autem imperantis, curam gerere, ut bona hujusmodi in utilitatem pupilli seu curandi fideliter administrentur, eumque in finem modum administrationis praescribere, atque etiam administratoribus invigilare, ab iisque rationes exigere. Itaque intuitu bonorum etiam ecclesiasticorum eam curam gerit imperans, ut ad mentem fundatorum bene administrentur, neve absque principis consensu alienentur, aut oneribus graventur; decernitque, quibus modis, per quem, et sub quibus cautelis illa sint administranda, ut fundatorum intentioni satisfiat; quem in finem leges exstant in terris austriacis profecto saluberrimae.

§. 286.

Lex amortisationis.

Multum interest reipublicae, ut quantum fieri potest, aequâ proportione inter va-

rias civium claſſes diſpertiantur opes civium, neve bona collegiorum illorum, corporumque nimium excrescant, commercioque civili ſubtrahantur, quae, quia nunquam deficiunt, neque alienationi bonorum, aut ſucceſſioni haereditariae locum relinquunt, manus mortuae dici ſolent. Poteſt ergo imperans civilis acquiſitioni bonorum redituumque collegiorum ſeu corporum eccleſiaſticorum juſtos ponere limites, ſeu leges amortiſationis ferre, *) quales in provinciis Auſtriacis reſpectu monaſteriorum jam pridem ab Imperatoribus Leopoldo I. Carolo VI. ac Imperatrice M. Thereſia latas eſſe conſtat.

*) Vid. Neuberger Abhandlung von den Einkünften der Klöster, und dem Amortisationsgesetze.

Juris publ. eccleſ. externi

Sectio ſecunda.

Jus publ. eccleſ. externum relate ad alienarum confeſſionum aſſeclas.

Caput primum.

De relatione eccleſiae ad alienarum confeſſionum aſſeclas generatim.

§. 287.

Omnis homo ſtimulo quodam naturae eo fertur, ut de quo ipſi firmiter perſuaſum ſit, id aliis quoque perſuadere conetur. Immo et officium caritatis eſt, ſenſa animi noſtri aliis communicare, cum de re agitur, judicio noſtro hominibus quam maxime ſalutari; modo id fieri poſſit mediis juſtis, bonumque inde ſucceſſum ſperare liceat. Eo magis ergo officium hoc ad eccleſiam pertinet, quo majorem veritates religionis univerſo generi humano adferunt utilitatem. Itaque longe abeſt

Abhorret eccleſia a tolerantiâ theologica.

ecclesia a tolerantiâ, quam vocant, theogicâ, seu indifferentismo, vi cujus ad salutem hominum nihil interesse creditur, sive veram ac integram fidei doctrinam teneant, sive ignorent, aut rejiciant. Immo vero naturae et indoli ecclesiae quam maxime convenit, ut fidem suam propagare, aliterque sentientes ad partes suas perducere viribus omnibus adlaboret.

§. 288.

Non aliud tamen medium habet, fidem propagandi, praeter institutionem.

Neque tamen coactione physicâ fides extorqueri potest, neque ecclesia vi externâ quempiam cogendi habet potestatem. *) Fraus quoque et fallacia, adsentatio, corruptio, similesque artes pravae media sunt prorsus inepta, sincerum intellectus animique consensum veritati praestandum eliciendi, sed externam duntaxat ac simulatam fidei confessionem efficiunt, legique morali Christianae, adeoque fini ecclesiae omnino adversantur. Non aliud ergo medium superest ecclesiae, doctrinam suam propagandi, aliterque sentientes sibi conciliandi, praeter institutionem, eamque genuinam, solidam, ac perspicuam, omni datâ occasione adhibendam.

*) *Nova et inaudita est ista praedicatio, quae verberibus exigit fidem*, ait S. Gregor. lib. II. epist. indict. 11. epist. 52. ad Joan. Hierosol.

§. 289.

Tolerantiâ Christiana erga alie-

Studium autem ecclesiae, doctrinam suam propagandi, cum tolerantiâ christianâ, erga alienae religionis adseclas conjunctum

ſit, oportet. Sita haec eſt in eo, ut omnia illis officia, ad communem caritatis proximi legem pertinentia, ſine religionis diſcrimine praeſtemus, principium illud evangelicum ſequentes, quo hominum unusquisque quicum ullum nobis intercedit agendi commercium, proximus nobis eſſe judicatur. Quo etiam pertinet illa caritati Chriſtianae propria aequitas in dijudicando alios, quà in dubio ſemper id, quod mitius eſt, praeſumentes, de cauſſà ac moralitate defectionis illorum a verà eccleſiae doctrinà nequaquam temere judicemus, verum ejus, qui ſolus renes et corda hominum ſcrutatur Deus, judicio rem omnem relinquamus.

nae religionis ſocios uti debet.

§. 290.

Tenetur etiam ſervare leges tolerantiae politicas.

Eccleſia porro ab ipſo divino auctore ſuo ac legislatore edocta eſt, imperanti civili, ejusque legibus, ſubſtantiae religionis legique divinae non contrariis, obtemperare. Imperanti civili vero jus competit, alienae fidei addictis liberum religionis exercitium permittendi, id quod tolerantiam politicam vocare ſolent, (§. 279.) eumque in finem modum agendi ab eccleſià erga eosdem obſervandum legibus definiendi. Siquis igitur alterius religionis coetus libero in civitate fruitur religionis exercitio, tenetur eccleſia ita ſe erga illum gerere, quemadmodum legibus civilibus eà de re editis praeſcriptum eſt. Neque licet eccleſiae, coetus illius ſocios in exercendis juribus, religionis exercitium concernentibus, lege publicà conceſſis,

ullâ ratione turbare ac impedire, neque ut eosdem ad ſua ſacra adducat, talia adhibere media, quae legibus civilibus interdicuntur.

§. 291.

Tolerantia Judaeorum in Auſtria.

Coetui Judaeorum in provinciis Auſtriacis inde ab antiquiſſimis temporibus conceſſum eſt, ut religionem patriam exerceant, conventusque ſacros celebrent, eo in jure a nemine turbandi. Quapropter nequis infantes Judaeorum, etſi forte in vitae diſcrimine verſentur, invitis parentibus baptizare praeſumat, poena mille aureorum aut carceris ſex menſium in transgreſſores conſtituta eſt, 12. April 1787. *) Antequam annum aetatis decimum octavum aſſecuti fuerint, Judaeorum liberi baptizari vetantur; excepto ſolum caſu, quo morti proximi ſacramentum baptiſmi ipſi ſuâ ſponte petant, ſimulque ejus ſint aetatis, ut diſcernendi bonum a malo facultate polleant, 30. Oct. 1789. Praeterea ex cauſſis urgentibus regimen provinciae in favorem liberorum, qui decimum quartum aetatis annum jam impleverunt, legis veniam facere poſſe, ſtatuitur; reliquis vero in caſibus peculiarem ſupremae curiae conſenſum eſſe requirendum, 21. Oct. 1791. **)

*) Coetus Judaeorum in Bohemiâ, ubi maxima illius gentis eſt frequentia, reguntur propriâ lege, dd. 3. Aug. 1797. Quâ ratione liberum religionis exercitium Judaeis in Gallicia occidentali competat, ſtatutum eſt litteris patentibus dd. 19. Nov. 1798.

**) Si e conjugibus Judaeis maritus ad fidem Catholicam transierit, utriusque sexus liberi annos discretionis nondum assecuti, baptizandi sunt, inque fide catholica educandi. Quodsi vero sola mater sacris sese Catholicis addicat, liberi omnes sine discrimine sexus patris, dum is in vivis est, partes sequuntur, mortuo autem patre, neque superstite avo paterno, qui sustentationem liberorum suscipiat, liberum est matri, proles omnes in fide Catholica educare, 19. Febr. 1790. Videatur etiam singulare decretum pro regno Galliciae occidentalis intuitu baptismi Judaeorum editum dd. 25. Sept. 1802.

§. 292.

Liberum religionis exercitium Protestantibus in Germania concessum.

Quod attinet ad diversas Christiani nominis sectas, Augustanae confessionis sociis ac Reformatis per omnem Germaniam pace primum religiosâ, dein Westphalicâ liberum religionis exercitium obtigit; statibusque Imperii jus reformandi, ut vocant, in rebus sacris concessum est, ad terminos tamen possessionis, quae in anno normali 1624, obtinuerat, restrictum. At vero provinciae Austriae a communi illâ lege exemtae fuerunt, et quamvis tum rex Sueciae tum status acatholici omnem in eo collocarent operam, ut Protestantibus in terris Austriacis degentibus liberum. quo anno normali gavisi essent, religionis exercitium impetrarent, aliud tamen quidquam evincere non poterant, nisi ut ipsis liberum relinqueretur, pro iisdem apud Caesaream Majestatem denuo intercedere, pace tamen propterea nec minimum violandâ, Art. V. §. 38 — 41. Tolerantia ergo in terris Austriacis nequaquam conditionibus pacis ab

Imperio Germanico initae, ſed liberà voluntate ac definitione Principum Auſtriacorum nititur.

§. 293.

Item in Auſtria.

Tolerantia haec in provinciis Auſtriacis pro Auguſtanae, ac Helveticae confeſſioni addictis, item Graecis non unitis introducta eſt lege publicatà dd. 13. Oct. 1781, quae variis etiam decretis deinceps ſubſecutis illuſtrata eſt, propiusque definita. *) Hujus articuli principales ad capita ſequentia commode revocantur: 1) Conceditur illis privatum religionis exercitium iis in locis, ubi hactenus in poſſeſſione exercitii publici non fuerint conſtituti. 2) Religio tamen catholica, utpote cui longe major pars civium addicta eſt, inſignibus quibusdam praerogativis gaudet. 3) Tranſitus ſubditorum catholicorum ad partes proteſtantium, ne ſit merae ignorantiae effectus, non niſi praevià inſtitutione permittendus eſt. 4) Acatholicis interdicuntur artes quaecumque illegitimae, alios ad ſacra ſua adducendi. 5) Tam Catholicis quam Acatholicis diligentiſſime commendatur, ut quiete ac concorditer una vivant, neque religionis cauſſa ſibi invicem ſint moleſti.

*) Profeſſio alterius cujuscunque ſectae, v. g. Deiſtarum, Mennoniſtarum, ſubditis Auſtriacis nullâ ratione permittitur. Quisquis unam ex praedictis confeſſionibus lege toleratis profiteri noluerit, pro catholico habetur. 31. Jan. 1782. 10. Jul. 1783. 13. April. 1784. 30. Jul. 1789. In regno Hungariae Acatholicis Augu-

ſtanae et Helveticae confeſſioni addictis liberum religionis exercitium, idque publicum, edicto regio Leopoldi II. dd. 7. Nov. 1790, in acta comitialia relato, confirmatum eſt. Simili modo in Tranſylvania vero religionis exercitio potiti ſunt. In regnis vero Croatiae et Slavoniae religionis exercitium ipſis conceſſum arctioribus circumſcriptum eſt limitibus, ita ut nec poſſeſſionis ibi bonorum nec munerum ſeu publicorum ſeu privatorum ſint capaces. (Art. 36. §. 14. anni 1791.) Pro Graecis non unitis in Hungaria, Croatia, et Slavonia exſtat lex propria conſtitutionem ipſorum definiens lectu digna: Illyriſches Nationsregulament, dd. 2. Jan. 1777.

§. 294.

Jura Proteſtantium in Auſtriâ.

Jura Acatholicis per legem tolerantiae conceſſa praecipua ſunt: 1) Centum familiae vel quingenti ejusdem confeſſionis oratorio, ſcholaque puerorum propriâ utuntur. 2) Miniſtris illorum liberum eſt, confeſſionis ſuae ſocios inviſere, aegris more ſuo ſacra miniſtrare, funera publica celebrare. 3) Proprios etiam habent ludimagiſtros, ab ipſis quidem ſuſtentandos, publicis tamen rei ſcholaſticae inſpectoribus ſubjectos. *) 4) Paſtores ſuos, quos ipſe ſuſtentent, eligunt, quod ſi vero magiſtratus onus ſuſtentationis ſuſceperit, hic jure praeſentandi potitur. 5) Denique ad emendas poſſeſſiones, ad acquirendum jus civitatis (Bürgerrecht) jusque magiſterii (Meiſterrecht) in collegiis opificum, ad dignitates academicas, ad munera publica diſpenſando admittuntur.

*) Ex lege novissima dd. 6. Apr. 1808 praefectura circuli (Kreisamt) in scholis Acatholicorum ea quoque curat, quae in scholis Catholicis ad consistorium episcopale spectant, Commissariusque circuli ad res scholasticas tractandas constitutus ibidem inspectoris scholarum districtualis vices gerit.

§. 295.

Illorum constitutio propria.

Quod spectat ad constitutionem Protestantium propriam in Austriâ, tractantur negotia ad religionem spectantia per consistoria a summo imperante instituta, vel approbata, quorum etiam est, pastores neoelectos confirmare. Sunt Viennae duo ejusmodi consistoria, pro Augustanae confessionis sociis unum, quod e civitate Teschen eo translatum fuit, alterum pro Reformatis in provinciis haereditariis Germanicis et Bohemicis. Inter pastores aliqui seniorum nomine ceteris eminent, universis vero unius aut etiam plurium provinciarum coetibus superintendentes praeficiuntur, quorum jura atque officia normâ, seu instructione sub dat. 13. Mart. 1786, praescriptâ definita sunt. Potestas judicandi de caussis ad religionis negotium pertinentibus delata est regimini cujusvis provinciae politico, cujus est, adhibito in consilium uno alterove e numero pastorum ac theologorum, secundum principia confessionis illius judicium ferre, salvo ulteriori ad curiam supremam recursu. *)

*) Jurisdictionem ecclesiasticam externam in subditos Protestantes in Germania principibus etiam catholicis propriam esse, inde elucet, quod

jurisdictio illa ex principiis in pace Weſtphalica receptis pars juris reformandi eſſe cenſeatur, jus vero reformandi ſuperioritati territoriali ſit annexum. Vid. Barthel. de jure reform. nov. Art. V.

§. 296.

Eccleſiae Catholicae praerogativa in eo ponitur, quod publici religionis exercitii gaudeat libertate, Acatholicis vero privatum duntaxat exercitium ſit conceſſum. Hinc 1) oratoria Acatholicorum neque campanis ſunt inſtruenda, neque turri, neque januâ publicâ e platea. Ex decreto dd. 18. Mart. 1782. Praefectura circuli tenetur indicare regimini provinciali, ſiqua aedificia antiqua, aut ſaxa proteſtantibus ad extruenda templa conceduntur. 2) Jura ſtolae, ut et decimae parochiales, aliique reditus fundationis relinquuntur parochis Catholicis. 3) Ad hos etiam pertinet, ut catalogos baptizatorum, matrimonio junctorum, ac defunctorum contexant et ſervent. 4) In matrimoniis mixtis, ſiquidem pater ſit Catholicus, liberi omnes in religione Catholicâ ſunt educandi, ſin ille confeſſioni Proteſtantium ſit addictus, filii patris, filiae matris religionem ſequuntur. 5) Curatori animarum catholico peculiare jus eſt, aegrotos acatholicos ſemel inviſendi, iisque officia ſua offerendi.

Praerogativa religionis catholicae.

§. 297.

Porro interdicunt leges tolerantiae ſubditis Acatholicis, ne vicinos, conjuges, li-

Obſervanda a Prote-

ſtantibus ex praeſcripto legum tolerantiae.

beros aut famulos Catholicos, quàcumque demum ratione ad defectionem a fide ſollicitent, ne religioni catholicae addictos ignominioſe tractent, ne in cauponis aut alibi cum Catholicis convenientes de rebus religionis colloquia habeant. 16. Januar 1782. — Item ad religioſos illorum conventus aditus non concedendus Catholicis, niſi iis, qui praeviâ inſtitutione facultatem ad partes proteſtantium transeundi ſcriptam (Meldzettel) a magiſtratu obtinuerint; neque ſalutationibus domeſticis, inſtitutionique privatae miniſtrorum Acatholicorum cuiquam Catholicò intereſſe licet. 28. Aug. 1784. In ſupplicationibus publicis, item dum viaticum defertur ad aegros, aut dum aliâ datâ occaſione Sanctiſſimo publice delato obviam veniunt, vel detecto capite tranſire, vel modeſto corporis habitu greſſum ſiſtere, vel penitus diſcedere jubentur. 9. Sept. 20. Dec. 1783. Ex lege data 24. Junii 1813 parochus tenetur machinationes tolerantiae contrarias, ſiquas detexerit, indicare praefecturae circuli. — Diebus feſtivis Majoribus a labore abſtinere jubentur etiam Acatholici, quamvis illi dies in ſua eccleſia ſolemnes non ſint. 21. Januar. 1813. Attamen delinquentes Judaicae nationis ſabbatho a publicis laboribus ſunt eximendi. 1. Maj. 1813.

§. 298.

Diviſio materiae.

Non minus vero eccleſia ſervare tenetur leges tolerantiae politicas, propter Acatholicos in civitatis territorio degentes praeſcrip-

tas. (§. 290.) Duplici vero ratione commercium quoddam eccleſiae cum Acatholicis intercedit: primum ſi quaeritur, an et quâtenus quis coetui Acatholicorum ſit accenſendus, proinde quibus ſub conditionibus tranſitus ad Acatholicos locum habeat, et quando proles in Catholicâ vel Acatholica religione ſint educandae; deinde ſi cum Acatholicis ipſis, ſpeciatim quoad exercitium functionum parochialium, quoad matrimonia mixta, quoad violatas ab illis leges tolerantiae, demum quoad tranſitum Acatholici ad partes Catholicas negotium habetur. Hanc igitur materiae diviſionem ſecuti, jura atque officia eccleſiae erga Acatholicos breviter exponemus. *)

*) Vid. Theologiſch = praktiſche Monathſchrift von Linz 1. Jahrg. 3. B. S. 307, ubi conſpectus legum Auſtriacarum tolerantiam concernentium, quarum notitia curatori animarum Catholico eſt neceſſaria, exhibetur.

Caput ſecundum.

De juribus et officiis eccleſiae, ubi ſui ad partes Proteſtantium deficiunt.

§. 299.

Introductâ tolerantiae lege, omnes ii, qui ad partes Proteſtantium tranſire cupiebant, pro

Inſtitutio trans-

euntibus praescripta. coram magistratu, praesente commissario ecclesiastico, expresse mentem suam declarare jussi sunt. Terminus peremtorius recipiendi ejusmodi declarationes ad diem 1mam Jan. anni 1783, fuit constitutus. Qui vero eo abhinc tempore Protestantium coetui sese adjungere velle professus fuerit, is sex hebdomadum spatio a curatore animarum doctrinâ fidei catholicae imbuendus est. Quodsi peractâ institutione in proposito perseveraverit, a curatore animarum accipit testimonium factae institutionis, quo exhibito a magistratu facultatem scriptam (Meldzettel) communicandi cum Protestantibus obtinet. Magistratui vero sine testimonio illo parochiali facultatem ejusmodi concedere nunquam licet, quemadmodum et ei, qui facultate hâc instructus non est, ad religiosos Acatholicorum conventus aditus nunquam patet. 23. et 30. Apr. 1703. 25. Jul. 1785. Unde is, qui instruitur, durante institutione pro Catholico semper habendus est ita, ut si illo tempore in morbum incideret, a ministro Catholico, non Acatholico, sacra ipsi essent ministranda, 3. Jul. 1783. *)

*) Novissimo decreto dd. 21. Jan, 1808 statuitur, durante hâc institutione instituendos ab omni consuetudine usuque familiari cum Acatholicis arcendos esse, ejusque rei tum a clero, tum a magistratu curam esse gerendam.

§. 300.

Observanda a cura- A curatore vero animarum in instituendis iis, qui a fide Catholicâ deficiunt, ex le-

gum praeſcripto obſervanda ſunt ſequentia: 1) Manſuetudinem, quam poteſt, maximam praeſeferat, abſtineat a verbis invectivis, minis, conviciis, verbum Dei graviter et modeſte proponat. 30. Apr. 1783. 2) Omnem etiam ſpeciem vexationis evitet. 3) Sufficit, ſi inſtruendi duabus, ad ſummum tribus horis de die in aedibus parochialibus morentur. 4) Dies, quibus forte jam antehac unquam ejusmodi inſtitutioni interfuerunt, a ſex illis hebdomadibus ſubducendi ſunt. 13. Febr. 1787. 5) Nec quidquam obſtat, quo minus etiam plures ſimul inſtruantur. 7. Maj. 1787. Ante annum aetatis 18 transactum nemini ad Acatholicos tranſire permittitur; et parochi Catholici jubentur in tabellis quater per annum exhibendis aetatem tranſeuntium notare. 28, Jun. 1815. 9. Sept. 1816.

tore animarum circa illam inſtitutionem.

§. 301.

Docuit experientia, facile fieri poſſe, ut qui ab unâ in aliam parochiam transmigrent, inſtitutionem praeſcriptam de induſtria declinent, eo quod tum parocho Catholico, tum miniſtro Acatholico ignoti ab utroque per errorem pro Acatholicis legitime jam receptis habeantur. Eam ob cauſſam cautum eſt, inquilinos, famulos, aliosque ab unâ ad aliam parochiam migrantes, ſiquidem ſe Acatholicos profiteantur, teneri magiſtratum aut parochum novi domicilii de tranſitu ad partes Acatholicas legitime facto exhibitis litteris teſtimonialibus (Meldzettel) certiorem reddere. Decret. Regim. ſup. Auſtr. dd. 2. Oct. 1798.

Cautelae obſervandae, cum parochiani in aliam migrant parochiam.

§. 302.

Praescripta ratione prolium.

Dubitari nonnunquam potest, quibus religionis partibus proles sint adnumerandae, utrum nempe unam alteramve sponte deligendo aptae sint, et si non sunt, utrum in Catholicâ an in Acatholicâ fide educandae. Quà in re casus sequentes discernere necesse est. Nimirum proles ejusmodi vel jam assecutae sunt annos discretionis, id est, aetatem tam maturam, ut ipsae possint in religionis negotio capere consilium: vel non sunt assecutae. Casu posteriore vel agitur de liberis legitimis, iisque vel parentum, qui jam pridem coetui Acatholicorum sunt adscripti, vel eorum, qui nunc demum a fide Catholicâ deficiunt, vel de liberis illegitimis, vel denique de infantibus expositis.

§. 303.

Si jam habeant annos discretionis.

Proles, quae jam habent annos discretionis, adultis aequiparantur, iisque optio est libera, quas partes sequi velint. Quinam vero sint anni discretionis, proprie definiri nequit, sed in casibus singulis ex viribus animi, rerum divinarum scientià, aliisque personarum adjunctis dimetiendum est. Erant, qui a parentibus Acatholicis avulsi, inque fide catholicà educati, ad eosdem redire detrectarent, periculum sollicitationis ad defectionem a fide pertimescentes. De his sancitum est, diligentissime esse investigandum, utrum proles talis tum sufficientibus instructa sit animi facultatibus, tum etiam plenissimà

in delectu religionis gaudeat libertate, quod ſi ita ſit, illam, cujuscunque ſit aetatis, nonniſi in fide Catholicâ, quam profitetur, eſſe educandam, ſecus vero, cujuscunque ſit aetatis, modo ſui juris nondum ſit, parentibus ac propinquis ſine tergiverſatione reddendum, 28. Mart. 1782.

§. 304.

Si non habeant, ſique parentes jam pridem ſint Acatholici.

Liberi legitimi parentum, qui coetni Acatholicorum jam pridem ſunt adſcripti, in annis diſcretionis nondum conſtituti, parentum confeſſionem ſequuntur, ſiquidem ambo ſint Acatholici. *) In matrimoniis mixtis, ubi pater fidei Catholicae addictus eſt, utriusque ſexus liberi in fide Catholica ſunt educandi; ſin pater Proteſtantium partes teneat, mater vero Catholicae fidei adhaereat, filii patris, filiae matris confeſſionem ſequuntur. 13. Oct. 1781. Quodſi igitur conjugum Acatholicorum una alterave pars, ſive vivo altero conjuge, ſive defuncto, ad eccleſiam Catholicam transeat, ſiquidem is pater ſit, liberi omnes utriusque ſexus impuberes, ſin mater, filiae impuberes in fide Catholicà educantur. 21. Dec. 1781. Legibus ſtatutum eſt, ut, ſi velit, ſponſa catholica omnium liberorum educationem in ſua fide inſtituendam pacto valido ſibi reſervare poſſit.

*) Excepti tamen fuere liberi ſubditorum, qui cum fidei cauſſa emigrâſſent, obtentâ libertate conſcientiae in patriam erant reverſi. Ipſis enim liberos interea in fide Catholicâ educatos ob ſeductionis periculum non illico reddendos,

ſed de caſu in caſum ad Aulam eſſe referendum, ſtatutum fuit. 14. Jul, 1783.

§. 305.

Si parentes nunc demum ad partes Acatholicorum transeant.

Si agitur de liberis legitimis, quorum parentes nunc demum ad partes Acatholicorum transeunt, deſtinguendum eſt inter infantes primae aetatis, eosque, qui ſcholas jam elementarias Catholicas frequentant. Illi ſubjiciuntur communi regulae, quae ſtatuit, liberos ſequi confeſſionem parentum. 28. Aug. 1786. Hi, quoniam jam in addiſcendà fidei Catholicae doctrinà verſantur, deinceps quoque ad ſcholam, ac catecheſim Catholicam mittendi ſunt, ſique maturiorem aetatem adepti Acatholicorum coetui ſeſe adjungere velle profiteantur, adultis aequiparandi, proinde ſex hebdomadum ſpatio in fidei doctrinà inſtruendi. 2. Maj. 1788. 2. Oct. 1798.

§. 306.

De liberis illegitimis, et infantibus expoſitis.

Ad liberos illegitimos quod attinet, ſtatuunt leges noſtrae, teneri patrem Acatholicum prolis illegitimae, ſiquidem jus ſuum educandae prolis in confeſſionis ſuae dogmatibus vindicare velit, ſtatim ut proles baptizatur, patrem ſeſe profiteri, neque ſi id neglexerit, deinceps eſſe audiendum, 11. Febr. 1796. Tum vero jus educandi pertinere ad matrem, modo uni alterive confeſſioni legibus toleratae addicta ſit. Quodſi mater inops prolem ſuſtentare, ac educare non valeat,

ideoque cura educationis ad civitatem devolvatur, prolem nonnisi in fide Catholicâ esse educandam, 4. Jul. 1796. Pari ratione menti legis hujus omnino videtur consentaneum, ut infantes expositi, publicis sumtibus alendi, in fide duntaxat Catholicâ educentur. Si quis autem infantem ejusmodi expositum filii loco habeat, suisque sumtibus alat, citra dubium est, liberum esse eidem, infantem talem educare, suaeque confessionis principiis imbuere, eàque in re regulam generalem superius (§. 304.) relatam sequendam esse.

Caput tertium.

De juribus et officiis ecclesiae erga ipsos Acatholicos.

§. 307.

Modus se gerendi erga Acatholicos generatim.

Modus se gerendi erga Acatholicos legibus tolerantiae praescriptus generatim in eo situs est, ut a concivibus Catholicis in exercitio religionis legibus permisso, ceterisque juribus nec minimum impediantur, atque in vitae civilis commercio omnia tum justitiae, tum caritatis officia, non obstante religionis discrimine, iisdem praestentur. Praesertim monentur clerici, ut populum in Christianae fidei doctrinâ instituentes ab omnibus erga

diſſentientes conviciis, verbisque mordacibus abſtineant, 2. Jan. 1782. Liberi Acatholicorum ſcholam Catholicam frequentantes impediendi non ſunt, quo minus tempore catecheſeos e ſcholà diſcedant. 25. Aug. 1782. Inquirere in libros Acatholicos etiam in domiciliis Catholicorum clericis interdicitur. 17. Nov. 1784. *)

*) Jubentur epiſcopi decreto dd. 12. Nov. 1804 dare operam, ut in locis, ubi degunt Proteſtantes, curatores animarum quam maxime idonei conſtituantur, iique, qui in locis ejusmodi de curà animarum optime meriti fuerint, data occaſione in conferendis beneficiis eccleſiaſticis ceteris paribus aliis anteponantur.

§. 308.

Ratione functionum parochialium.

Quoad functiones parochiales intuitu Proteſtantium obſervanda ſunt ſequentia: 1) Curatores animarum non modo non vetantur, ſed obligantur etiam aegros Acatholicos, quamvis non vocati, ſemel inviſere, iisque ſacra adminiſtranda offerre, ac petentibus adminiſtrare, quâ tamen in re ſummà utantur modeſtià et manſuetudine, caveant ab importunis contentionibus, ſique aegrotus operà ipſorum uti nolit, diſcedant, 31. Jan. 1782. 2) Iis in locis, ubi deeſt Acatholicis coemeterium proprium, ſepultura iisdem in coemeterio Catholicorum concedenda eſt; tunc vero neque cantilenas illi confeſſioni in funere familiares decantare, neque orationem funebrem in coemeterio habere licet. 31. Dec. 1783. 8. Jan. 1784. Miniſter proxi-

mus ejusdem confeſſionis ad comitandum funus vocandus eſt: quod ſi fieri nequeat, parochi loci eſt, funus comitari. Unicuique liberum relinquitur, ritibus ſuae confeſſioni familiaribus uti, et petere, ut ſonus campanarum funus proſequatur, utque ſignum confeſſioni ſuae congruum in loco ſepulturae ponatur. 12. Aug. 1788. *) 3) Matrimonia Acatholicorum tam in eccleſiâ parochiae Catholicae, intra cujus fines degunt, quam in oratorio illorum denuncianda ſunt. 19. Maj. 1784. 4) Acatholici ab officio patrini prolis Catholicae modeſte arcendi ſunt. 28. Jun. 1801. Poſſunt tamen ut teſtes baptismatis adeſſe. 10. Jul. 1802. 5) Subditi Acatholici adigi nequeunt, ut ſive ad ſumtus aedificiorum, ſive ad cuſtodias in eccleſiis Catholicis, ſive ad pretium vecturae, parocho Catholico functiones ſacras celebraturo procurandae, quidquam conferant. 8. Jan. 1784. 22. Mart. 1808.

*) Executionibus Acatholicorum civilium aut militarium intereſſe licet miniſtris acatholicis. Milites acatholicos capellanus caſtrenſis usque ad portam aedificii militaris comitatur, ulterius vero paſtor acatholicus. 21. April. 1784. — Guſtermann öſterreichiſches Kirchenrecht. 3. Band.

§. 309.

Ubi adſunt paſtores Acatholici legitimi, illorum eſt, baptismatis, copulationis nuptialis, ac exſequiarum ritus ſuis adminiſtrare. Jubentur vero caſus ſingulos illico parocho Catholico, ab eodem in libris parochiali- *Ratione librorum parochialium.*

bus conſignandos indicare, ſervatis rubricis omnibus, quae pro conficiendis illis libris legibus praeſcribuntur. Nihil tamen obſtat, quo minus et ipſi catalogum baptizatorum, copulatorum, ac defunctorum pro uſu privato habeant. 13. Jan. 22. Febr. 1782. 19. Jul. 1784.

§. 310.

Ratione jurium ſtolae.

Jura ſtolae etiam ab Acatholicis parocho Catholico praeſtanda ſunt. 13. Oct. 1781. Nequaquam vero tenentur, ſiquidem ſcholis propriis inſtructi ſint, ludimagiſtris Catholicis in praemium inſtitutionis ſcholaſticae quidquam conferre. 13. Maj. 1782. Res quoque naturales, quae ludimagiſtris a parochianis pro ſtipendio dari ſolent, ſuis, non Catholicis praeſtant. 26. Jul. 1786. Aeditui vero vi decreti aulici dd. 11. April. 1798, pro Carinthià editi parochis hàc in re aequiparantur, proinde jura ſtolae, ut etiam reſpectu illorum nuncupari ſolent, ab Acatholicis quoque percipiunt.

§. 311.

Obſervanda in locis, ubi deſunt miniſtri Acatholici.

In locis, ubi neque adeſt miniſter Acatholicus, neque Proteſtantes ibidem degentes vicino cuidam miniſtro legitime adſcripti ſunt, ad parochum Catholicum pertinet, baptizare infantes, ſponſos in matrimonium conjungere, mortuos ſepelire; idque obſervato ritu in Sileſià uſitato, ibique lege praeſcripto. In adminiſtrando baptismatis ſa-

cramento, item in copulationibus nuptialibus rituali dioecesano utitur. Funera Acatholicorum, rogatus, comitatur, curamque gerit, nequid forte, quod Catholicis sit offendiculo, decantetur. Non tamen benedicit tumulum, neque collectam recitat. Quodsi parochus ad celebranda funebria non invitetur, ludimagistro Acatholico permissum est, in funus prodire, modoque consueto carmina funebria decantare, juribus tamen stolae parocho solutis. 16. Mart. 1782.

§. 312.

In matrimoniis mixtis ineundis.

Matrimonia mixta, ubi conjugum pars una fidem Catholicam tenet, altera Acatholicorum partes sequitur, tam in ecclesiâ parochiali Catholicâ, quam in oratorio Acatholicorum sunt denuncianda. Benedictio vero nuptialis ad parochum Catholicum pertinet, ita tamen, ut minister Acatholicus tamquam testis adesse possit. 25. Sept. 1785. Prudenti curatoris animarum judicio relinquitur, partem Catholicam, quae cum Acatholicâ matrimonium inire cupit, de iis monere, quae ad officium conscientiae spectant. 29. Aug. 1788. Examini sponsorum a parocho catholico ante denunciationes instituendo pars quoque Acatholica, attamen eum duntaxat in finem, interesse tenetur, ut de requisitis ac impedimentis matrimonii rationem reddat; neutiquam autem cogi potest, ut tum quoque praesens sit, cum pars Catholica doctrinâ Christianâ instituitur, aut examinatur: decret. regim. sup. Austr. dd. 16. Jan. 1796. Occa-

ſione hujus examinis curator animarum ſponſis legum tolerantiae vim ac ſubſtantiam, maxime ad educationem prolium quod attinet, perſpicue exponat, earumque obſervationem iisdem diligenter commendet. 28. Mart. 1798.

§. 313.

Quoad divortia.

In matrimoniis mixtis divortio iis ex cauſſis, ob quas matrimonia Acatholicorum diſſolvi ſolent, locus eſſe nequit, propterea quod pars Catholica ex principiis ſuae religionis non alià ratione poſſit inire matrimonium, niſi ne ullo modo diſſolvatur, proinde pars Acatholica eo ipſo, quod cum Catholicà ineat matrimonium, profiteatur, ſeſe huic conditioni conſentire 17. Jan. 1787. Quodſi vero conjuges, tempore initi matrimonii ambo Acatholicorum partibus addicti, ſecundum leges ad conjugia Acatholicorum pertinentes ſeparati fuiſſent, poſteaque conjugum unus ad catholica ſeſe ſacra transferat, divortium hoc nihilominus ſubſiſtere ſtatutum eſt 27. Maj. 1788. *) Ex decreto tamen recentiori prohibentur parochi, perſonam Catholicam cum Acatholica, juxta principia Proteſtantium divortio judiciali a conjuge ſeparata, vinculo conjugiali copulare. 15. April. 1789. 14. Jan. 1803. Decretum dd. 28. Jul. 1814 ad definiendum §. 119. Cod. civ. Circ. regim. ſupra Anaſum dd. 25. Aug. 1814.

*) Allgemeines bürgerliches Geſetzbuch. 1811. §. 116.

§. 314.

Si leges tolerantiae violentur.

Curator animarum omnino vi officii tenetur invigilare, adhibitisque mediis legitimis curam gerere, ne Acat .lici leges tolerantiae in favorem Catholicorum exſtantes, ſive ſollicitando Catholicos ad defectionem a fide, ſive ſacra Catholica injuriis afficiendo, ſive alias quoquo modo violent. Eam ob cauſſam imprimis caveat, ne ex parte Catholicorum violationi ejusmodi anſa praebeatur. Deinde caſu quovis emergente rem amice componere, litesque haud neceſſarias devitare ſtudeat. Sin autem ſententiâ aut correctione judicis ſuperioris opus eſſe videatur, ad forum politicum immediatum, praefecturam ſcilicet circuli (Kreisamt) res deferenda eſt, aptiſque facti probationibus inſtruenda.

§. 315.

Cum Acatholicus tranſit ad ſacra Catholica.

Si Acatholicorum quisquam ad eccleſiae Catholicae communionem recipi cupiat, is primum a curatore animarum Catholico probe inſtruendus eſt, eum in finem, ut tum cauſſae ad conſilium illud capiendum animum moventes, tum notiones ejusdem de fidei dogmatibus examinentur, ac prout opus fuerit, corrigantur. Tum demum, cum curatori animarum ſatis perſuaſum fuerit, illum fidei Catholicae doctrinâ bene inſtructum eſſe, eamque non cauſſis ſpuriis, ſed vi veritatis permotum amplecti, praevia facultate ab Epiſcopo obtentâ, editâque fidei profeſſione publicâ ad eccleſiae com-

munionem ufumque facramentorum recipiatur. *) Jubentur vero curatores animarum, fi quis ex Acatholicis ad facra Catholica tranfeat, id praefecturae circuli nominatim indicare, cujus eft, miniftrum Acatholicum eâ de re certiorem facere; quodfi poft emiffam fidei catholicae profeffionem ad conventus religiofos Acatholicorum denuo accedere velit, minifter Acatholicus ipfum repellere, remque praefecturae circuli (Kreisamt) quantocius denunciare jubetur, 14. Maj. 1807.

*) Vid. Differtat. de ritu recipiendi Acatholicum in communionem ecclefiae in der Theologifch-praktifchen Monathfchrift, 3. Jahrg. 1. B. S. 173.

Typis Feichtingerianis.